
37
31 A
22



THEOLOGIÆ MORALIS

INSTITUTIONES

A B


A.R.P.F. IOSEPHO-ARCHANGELO

A FRACTA MAJORI

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI, IN SACRA THEOLOGIA LECTORE JUBILATO, EX-MINISTRO PROVINCIALI, EX-DEFINITORE GENERALI, CLERI NEAPOLETANI EXAMINATORE PRO-SYNODALI, RECTORE ECCLESIÆ MONTIS CALVARII, ATQUE TERRÆ SANCTÆ, IN REGNO NEAPOLIS COMMISSARIO GENERALI.

IN SACERDOTUM JUVENUM UTILITATEM, EX VARIIS PROBATISQUE AUCTORIBUS COLLECTÆ, FACILI, ET CLARA METHODO EXPOSITÆ, ATQUE IN LUCEM EDITAE.

PARS II.



CONTINENS TRACTATUS

SUPER DECEM

DECALOGI PRAECEPTA

NEAPOLI MDCCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA RUSCONI

VIA S. ANNAE LOMBARDORUM N.° 57.

Superiorum facultate.

MORALIS THEOLOGIAE

PARS II.

Cum universa Terra hominum iniquitate repleta esset, atque Idolorum, et Daemonum cultus longe, lateque apud Nationes grassaretur, quis non putasset, Deum verum, fortem atque zelotem, in tantorum facinorum vindicatam, aliquando tandem, homines simul cum Terra disperdidisse? Et tamen ita non fuit. Patiens namque, et misericors Dominus, voluit potius suam erga homines charitatem ostendere, quam eos a facie sua disperdere; unde inito foedere cum Abrahamo, patrem omnium in se credentium illum constituit, et ex filiis ejus, sibi Populum elegit, qui Israeliticus ab Israele, seu Iacob dictus fuit. Hunc ergo Populum, cum jam esset sufficienter propagatus, et sub dura Pharaonis Regis Ægypti servitute crudeliter praemeretur, per Moysen, et Aaron, in prodigiis, et signis multis, in manu forti, et brachio extento de Ægypto eduxit, et in Terram lacte, et melle fluentem, Patribus ejus promissam introduxit. Quoniam vero talis Populus non solum contra hostes illius Terrae habitatores pugnare debebat, illosque superare, sed et insuper adversus vitia viriliter decertare, et virtutibus exercendis insistere, ut sibi tamquam vero et unico ejus Domino gratam atque dignam exhiberet servitutem; ideo sicuti dedit ei Duces, et bellatores, qui adversus terrenos hostes pugnarent, vincerentque, ita ei decem dedit Praecepta queis de hostibus invisibilibus, et vitiis triumpharet. *Nam*, ut ait S. Bernardinus Senensis (1), *per primum*

(1) Tomo III. Serm. 17. fer. 6. post Dom. II. Quadrag.

Praeceptum armatur contra infidelitatem ; *quia* : Non adorabis Deum alienum. *Secundo contra loquacitatem*; *quia*: Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. *Tertio contra superbiam, et ambitionem*; *quia* : Memento ut diem Sabathi sanctifices. *Quarto contra impietatem* ; *quia* : Honora Patrem tuum et matrem tuam. *Quinto contra crudelitatem*, *quia*: Non occides. *Sexto contra libidinem*; *quia*. Non moechaberis. *Septimo contra falsitatem* ; *quia*. Non falsum testimonium dices. *Octavo contra rapacitatem* ; *quia*: Non furtum facies. *Nono contra cogitatas malignitates* ; *quia*. Non concupisces uxorem proximi tui. *Decimo contra cupiditatem* ; *quia* : Non concupisces rem proximi tui. Quam bonus Israel Deus!

Et en hujus secundae Partis nostrae Moralis Theologiae materia; per varios scilicet Tractatus, Decem Decalogi Praecepta explicabimus ; Unde sit.

TRACTATUS I.

SUPER I. DECALOGI PRAECEPTUM

Nempe

DE RELIGIONE

Primum Decalogi Praeceptum, his verbis expressum in Exodo (1) legitur: *Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile.* Quod idem est ac dicere: *Dominum Deum adorabis, et illi soli servies.* Cum ergo hoc praecepto, debitum cultum unico ac vero Deo praestare obligamur, merito praesens primus Tractatus de Religione instituitur; qui, ut mox dicemus, ea praecipue complectitur, quae Dei cultum respiciunt, atque debita erga ipsum officia exponit. Sit propterea.

(1) Religionis nomen, aliqui a religando derivari existimant, veluti sit vinculum, quo summo Deo obstringimur, et religamur. Ita Lactantius (Lib. IV. Cap. 28). *Hac, inquit, conditione, gignimur, ut generanti nos Deo justa, et debita obsequia praebeamus: hunc solum noverimus. hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti, et Deo religati sumus, unde ipsa Religio nomen accepit.* Hinc Augustinus (Lib. de Vera Relig. C. 4.) ait. *Religet nos religio uni omnipotenti Deo.* Volunt alii derivare *a relegendo ea, quae sunt divini cultus.* Alii tandem dicunt derivari posse a religendo, *quod Deum religere debemus, quem amiseramus negligentes.* Quidquid autem sit de nomine: *Sive scilicet Religio, dicatur a frequenti relectione ejus, quod negligenter, amissum est, sive dicatur a religatione, Religio,* ait D. Thomas(2. 2. q. 81 art. 1.)*proprie importat ordinem ad Deum. Ipse est enim, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem, etiam negligenter peccando amittimus, et credendo, et fidem praestando recuperare debemus.*

CAPUT I.

De Religionis natura.

Q. *Quid est Religio?*

R. *Religio*, hic (1), *est virtus moralis, divinitus infusa, quae hominis mentem inclinat ad reddendum Deo cultum debitum propter summam ejus excellentiam, et tanquam supremo principio et fini.*

Q. *Quodnam est Religionis objectum?*

R. Religionis objectum duplex est; *materiale* nempe, et *formale*, objectum materiale Religionis sunt actus Religionis, quibus colitur Deus; formale vero est illa specialis honestas, quae relucet in praestando cultu Deo debito ob summam ejus excellentiam, quae titulus est et ratio, ob quam bonum est, et honestum, atque hinc virtuosum, Deo supremum cultum tribuere.

Q. *Quomodo venerandus est Deus?*

R. Cum homo sit a Deo creatus, anima et corpore constans; cumque totum seipsum Deo debeat referre, hinc anima et corpore venerandus est Deus; actibus scilicet tam internis, quam externis (2).

---

(1) Dicimus, *hic*, Nam Relgio in triplici aspectu considerari potest, 1. nempe pro divini cultus professione, omnibus communis, qua homo, quantum salutis necessitas exigit, Dei servitio mancipatur, sicut olim erat Religio Iudaica, et nunc est Christiana; 2. pro statu hominum Deo specialiter per tria vota solemnia, Paupertatis, Obedientiae, et Castitatis consecratorum; uti est Religio Benedictina, Dominicana, Franciscana etc. 3. tandom pro virtute morali; sicuti modo consideratur a nobis.

(2) Hoc namque supremus hominum Dominus, et Magister verbis docuit, et opere confirmavit. Juxta pu-

Q. *Dictet ne humana ratio, Deum esse colendum?*

R. *Affirmative;* Nam cum recta ratio humana dictet, Deum existere, ipsumque summum, atque perfectissimum bonum esse, a quo entia omnia contingentia suum esse et conservationem repetunt, nec non omnia alia bona sive naturalia, sive supernaturalia, eadem humana ratio proculdubio dictat, Deo debitum cultum esse reddendum. Hinc Paulus ad Romanos scribens (1), inexcusabiles vocat Gentilium Sapientes, qui cum, lumine naturali, Deum cognovissent, non ita tamen uti Deum glorificaverunt.

Q. *Quinam cultus erga Deum a recta ratione praescribitur?*

R. Praescribitur non solum cultus internus, et externus, uti jam dictum est, sed etiam cultus privatus, qui nomine privato ei offertur; et cultus publicus, qui sive in publicis conventibus, veluti in Ecclesiis, vel nomine publico exercetur.

Q. *Quisnam est usus Religionis naturalis?*

R. Inservit 1. ad Religionem revelatam confirmandam; 2. ad illos homines convincendos, qui omnem Legem, atque Religionem execrantur.

Q. *Quibus rationibus convincitur, solam Religionem naturalem homini non sufficere, ut salutem consequatur aeternam?*

R. Sequentibus rationibus, 1. quia Religio naturalis, medium proportionatum non ostendit, quo Deum nobis reddamus propitium; aliunde autem hu-

---

teum namque Sichar ipse sedens, et cum muliere Samaritana familiater loquens, dixit (Joan. IV. v. 23). *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate*; et saepius Patrem oraturus, modo genuflexus humiliter ei loquebatur; modo oculos suos ad Coelum elevabat etc.

(1) Cap. I. v. 21.

mana ratio satis dictat, hominis merita, non esse ex seipsis sufficientia ad satisfaciendum infinitae Dei justitiae. 2. Religio naturalis praescribit quidem id quod facere debemus, ad Deum uti naturae auctorem venerandum, at nihil nobis suggerit de eo quod Deus vult, et nos facere debemus, ut ab ipso glorificationem in aeterna vita obtineamus; neque media, auxilia, et vires subministrat ad ipsum digne venerandum. 3. Religio naturalis non promittit aeternam salutem; neque notum facit nobis, velit ne Deus, propter brevi temporis obsequium, aeternam felicitatem nobis concedere.

Q. *Quot sunt actus Religionis tam interni, quam externi?*

R. Actus interni Religionis duo sunt; nempe *Devotio*, et *Oratio*. Actus vero externi sunt; *Laus Dei*; *adoratio*; *sacrificium*; *oblatio*; *primitiae*; *decimae*; *juramentum*, *et votum*. Ex his, quae ad primum Decalogi praeceptum pertinent, in praesenti Tractatu verba faciemus; de aliis, suo loco.

CAPUT II.

De actibus internis Religionis; nempe Devotione, et Oratione.

Q. *Quid est devotio?*

R. *Devotio est voluntas prompte se tradendi ad ea omnia, quae ad Dei famulatum pertinent.*

Q. *Quaenam est devotionis causa?*

R. Devotionis causa duplex est; intrinseca nempe, et *extrinseca*; causa intrinseca devotionis est meditatio tam divinae bonitatis, clementiae, et aliorum attributorum divinae naturae, quam nostrae miseriae

atque imbecillitatis; extrinseca vero et principalis est Deus (1).

Q. *Quot sunt Devotionis effectus*?

R. Duo praecipue sunt; nempe 1. *spiritualis laetitia*, quae ex consideratione divinae bonitatis enascitur, et 2. *salutaris tristitia*, quae ex propriorum defectuum consideratione derivatur.

Q *Quid est Oratio*?

R. *Oratio est petitio decentium a Deo* (2).

Q. *Quotuplex est Oratio*?

R. Triplex est; *mentalis* nempe; 2. *vocalis; et* 3. *mixta*. Oratio mentalis est illa quae fit sola mente (3); *Vocalis* vero est illa, quae in mente quidem

---

(1) Nam, ut ait S. Jacobus 1. v. 17. ***Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.*** Quare S. Ambrosius Cap. IX. super Lucam, ***Deus***, inquit, ***quos dignatur, vocat, et quem vult religiosum facit; nam si voluisset, Samaritanos, ex indevotis devotos fecisset.***

(2) Oratione itaque, decentia, hoc est bona honesta, et quae Deo placent, nobis autem utilia sunt ad veram felicitatem comparandam, petere debemus; Virtutes nempe, earumque augmentum, nec non gratiam ad earum exercitium necessariam et Divinae Voluntatis implementum. Possumus tamen bona etiam temporalia a Deo petere, dummodo tamen illa divinae majestati erunt placita, et ad Dei gloriam ordinentur, neque nobis impedimento sint ad salutem. Hinc grave peccatum committeret qui a Deo auxilium peteret impune furandi, injuste suum inimicum occidendi, bonis praesentibus abbundare, ut laute, et sine incommodo vivere possit, ac vitiis indulgere.

(3) Atque haec varia sortitur nomina, nempe dicitur proprie ***oratio*** si interna locutione aliquid a Deo petimus; dicitur ***meditatio*** si pio mentis affectu, serio divina consideramus; Supremus vero gradus meditationis dicitur ***contemplatio***; quae juxta D. Bernardum (Lib. 2. de consid. Cap. 2) ***est verus, certusque animi in-***

concipitur, sed voce exterius profertur; mixta tandem est illa, quae mente simul et voce perficitur(1).

Q. *Quotuplex est Oratio vocalis?*

R. Duplex est; *privata* scilicet, et *publica*. Oratio privata est illa quae fit a persona privata, et nomine privato; publica vero est illa quae fit a communitate, vel a publico ministro, nomine communitatis, vel Ecclesiae pro totius Populi salute(2).

Q. *Quaenam Oratio est Deo magis accepta, et nobis utilior, privata ne, an publica?*

R. Oratio publica, ad quam plures unanimiter conveniunt. Id satis ostendit Christus Dominus, cum apud S. Matthaeum Cap. 9. dixit: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quaecumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Coelis est; ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum.*

Q. *Oratio est ne ad consequendam salutem necessaria?*

---

tuitus de quacumque re: sive opprehensio veri non dubia?

(1) Ex D. Bernardino Sen. T. III. Ser. XV. art. 2. de operibus satisfactionis.

(2) Audiatur S. Thomas, qui 2. q. 83. art. 12. ita scribit: *Duplex est oratio: communis, et singularis. Communis quidem oratio est, quae per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis Populi Deo offertur; et ideo oportet quod talis oratio innotescat toti Populo pro quo profertur: quod non posset fieri nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiae, hujusmodi orationes, etiam alta voce pronuntient ut ad notitiam omnium possint pervenire. Oratio vero singularis est quae offertur a singulari persona cujuscumque sive pro se; sive pro aliis orantis, et de hujusmodi Orationis necessitate non est, quod sit vocalis.*

R. Est necessaria tam necessitate medii, quam praecepti (1).

Q. *Quonam tempore obligat praeceptum divinum orandi?*

R. Quantum ad animi dispositionem, et vi intentionis, oratio debet esse assidua, et indeficiens juxta illud: *Oportet semper orare et non deficere.* Quantum vero ad orationem explicitam et materialiter, fieri debet saepius in vita; idque tam *per se*, quam *per accidens.* Cum enim oratio sit medium ordinarium obtinendi divina auxilia; cumque his continuo indigemus, ad orationem recurramus oportet; quare *per se* obligat praeceptum orandi. *Per accidens* vero obligat cum gravis tentatio urget castitatem vio-

---

(1) Et 1. quidem est necessaria necessitate medii. Nam ad aeternam salutem consequendam necessaria sunt divinae gratiae auxilia, et praecipue donum perseverantiae finalis. Atqui donum hoc Deus statuit illis dare qui ab ipso illud postulaverint uti Jesus Christus dixit apud S. Matt. C. 7. *Petite et accipietis. Querite et invenietis*; Igitur. etc. 2. Est necessaria necessitate praecepti. Nam idem Christus Dominus apud S. Lucam Cap. 18. *ait Oportet semper orare, et non deficere.* Et Matth. C. 7. *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* Hinc audiendi omnino non sunt, qui ex eo quod Deus ab aeterno omnia noverit, et nequeat suam immutare sententiam de eo quod ab aeterno fieri statuerit, concludere audent, orationem esse Deo injuriosam, vel saltem nullius utilitatis. Nam, *non propter hoc oramus, ut divinam dispositionem* (ait S Greg. M. Lib. 1. dial. Cap. 8.) *immutemus, sed ut impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum. Quamvis ergo*, sequitur S. Prosper (Lib. II. de vocatione gentium), *quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi. . . cum implendae voluntatis Dei ita sit praeordinatus effectus ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum.*

landi, vel desperandi, aut Deum odio habendi, vel fidem negandi; sicuti etiam in mortis periculo; aut cum quis vel contritione, vel sacramento vult se ad gratiam disponere; aut opus aliquod arduum aggredi vult (1).

---

(1) Nimium profecto a recto aberrare dicendi sunt qui asserere non dubitarunt, praeceptum orandi *per se* obligare aut semel in anno, aut semel saltem in mense. Nemo enim verbis utor P. Danielis Concina *Lib.* 1 *in Decal. Dissert.* 1. *de Religione* §. 8. « Nemo sanae » mentis profecto gravis culpae insontem assereret Chri- » stianum illum, qui integro mense, in Deum nec se- » mel mentem erigeret, nec quidquam ab eo peteret, » nullumque cum illo orationis, ut ita dicam, com- » mercium haberet. Nonne vel ipsius naturae ratio, » sensusque ipse communis tantum socordiae, oblivio- » nis, acediaeque in religionis negotio gravis flagitii, » damnaret? Nonne quisque moratus Christianus sibi » vitio verteret, et ignaviae non levi, si vel integro » die nil de Deo cogitaret, nullam illi offerret precem » eumque nec semel invocaret, nec eidem ullas refer- » ret grates? Quid quod divina oracula sine intermis- » sione nos orare docent, monentque numquam ab ora- » tione desistendum? Congruo igitur sensu, et huma- » nae imbecillitati accomodato explicanda haec Evangelii » oracula sunt. Caussabuntur ne severitatis, aut rigo- » ris nimii praefata oracula divina, quae nemine dis- » sentiente praeceptum continent? Non hoc in sensu, » quod continuatio orationis cadat sub praecepto; sed » praeceptum orandi exprimitur verbis, quae frequen- » tes actus imponunt. Illae ergo particulae *semper, sine* » *intermissione* non imponunt continuationem orationis » sub praecepto, sed indicant crebrius frequentandam » esse orationem, atque orationi insistendum, ut D. » Paulus monet. Clarius jam jam rem explicabo. Respon- » deas nunc velim. Dicendus ne est sine intermissione » orare ille, qui semel dumtaxat in anno orat? Quis » defenderit semper orare illum, et nunquam deficere » qui ultimo tandem anni die mentem in Deum erige-

Q. *Pro quibus fieri potest, et debet Oratio?*
R. Pro omnibus universaliter orandum est, etiam inimicis (1): Peculiariter autem orandum est pro Magistratibus, qui supremum regimen obtinent (2). Pro superioribus Ecclesiasticis; atque Ecclesiae Praelatis (3); nec non pro animabus Purgatorii (4).

» ret? Haec potius paradoxa, et divinis oraculis, et » rationi ipsi adversa sunt.

(1) Id clare patet ex Apostolo Paulo, qui ad Timotheum scribens ait (Epist. 1. cap. 2. v. 1.): ***Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*** Quod autem etiam pro inimicis orandum sit, expresse habetur a Christo Domino praeceptum apud S. Mattheum (cap. v. v. 44.) his verbis: ***Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.*** Et sane cum nos, virtute praecepti charitatis, tenemur omnibus optare salutem aeternam, eamque, quantum per nos fieri potest, illis procurare, debemus etiam eam illis oratione petere a Deo; quia haec, ut supra diximus, est medium ordinarium a Deo statutum ad illam consequendam.

(2) Clara super hoc sunt laudati D. Pauli verba ad discipulum suum Timotheum in dicta sua prima Epistolà cap. 2. v. 2. ***Orate pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agemus, in omni pietate, et castitate.***

(3) Cum namque ipsi a Christo Domino in Ecclesiis sint praepositi, ut sint Patres, et Pastores fidelium, atque hinc illos pascant scientia, et doctrina, majori Dei auxilio, et gratia indigent ut munus suum rite exequantur, ne seipsos, et eos quibus praesunt, misere perdant; pro ipsis itaque orandus est Deus, ut auxilia, et gratias illis necessarias concedat. Hinc S. Paulus ad Thessalonicenses scribens (Epist. 2. c. 3. v. 1.) inquit: ***De caetero fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur, sicut et apud vos.***

(4) Nam Ecclesia militans, et triumphans unam Ecclesiam constituunt, et fideles sive in Purgato-

Q. *Quot sunt orationis effectus*?

R. Orationis effectus sunt plures; praecipui tamen tres enumerantur; nempe 1. *Meritum*(1) 2. *Satisfactio* (2); et 3. *Impetratio* (3).

Q. *Praedicti tres effectus orationis sunt ne semper simul, an possunt ab invicem separari?*

R. Non semper una simul inveniuntur, sed quandoque separari possunt, et de facto in multis separati observantur (4).

---

rio existentes, sive in hoc mundo unum corpus efficiunt, cujus caput est Christus. Si ergo ait S. Iacobus Apostolus in sua Epist. cap. V. v. 26. *Orate pro invicem ut salvemini*, pro animabus quoque Purgatorii orare debemus, ut ipsae a poenis, quas pro peccatis meruerunt, solutae, in Coelum admittantur. Atque haec est doctrina, et praxis Ecclesiae contra Novatores tam antiqua, ut dixerit S. Dionisius Areopagita(Lib. de Coelesti Hier. P. 3. cap. 1.): *Praeces fundere pro mortuis a magistris nostris a Deo accepimus.*

(1) Meritum quidem; quia orans, si justus est, meretur de condigno vitam aeternam; Scriptum est enim (Iacobi cap. v. v. 16.) *multum valet deprecatio justi assidua.*

(2) Cum namque Oratio in justis viatoribus sit actus supernaturalis, et laboriosus, utique satisfactoria est. Hinc Tridentina Synodus ita definit Sess. 14 Can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri....jejuniis, orationibus...anathema sit.*

(3) Quatenus oratio quoties fit, sicuti fieri debet, infallibiliter obtinet quod petit juxta Salvatoris promissum apud S. Ioan. C. 16. *Si quid patieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*

(4) Revera saepe oratio est solum impetratoria, uti est oratio Sanctorum cum Christo in Coelo regnantium; qui suis orationibus impetrare possunt pro nobis; at non possunt neque pro seipsis mereri quia sunt in termino; neque satisfacere, quia sunt perfecte purgati, nec habent poenas, quas solvant Aliquoties oratio

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ut oratio infallibiliter obtineat quod petit?*

R. Plures conditiones, inter quas 1. ut qui vult orare, prius se praeparet, humiliter de se sentiendo, sublimiter de Deo, excludendo a corde suo peccatum, vel saltem affectum peccati (1); 2. internam mentis attentionem ponat (2); 3. ut quis Deum orando, petat

---

est impetratoria, et satisfactoria, sed non stricte, hoc est de condigno meritoria, uti est illa, quae fit a poenitente nondum justificato. Aliquando Oratio est meritoria, quin sit satisfactoria, uti est oratio justi, qui aliquid petit, quod ei non convenit, uti fuit Oratio D. Pauli, qui ter Dominum rogavit ut stimulus carnis, qui eum colaphizabat a se discederet: Non fuit quidem exauditus, sed ejus oratio, utpote ab homine justo procedens, qui gratia mediante operabatur, fuit aeteanae vitae meritoria. Saepe saepius etiam oratio est meritoria simul et impetratoria; uti est quando justus orat ut sibi detur vita aeterna, eam meretur, et simul impetrat, suo tamen tempore, dandam, si tamen in gratia Dei perseveraverit.

(1) Ita enim in Ecclesiastico(Cap. 18. v. 23.)scriptum est: *Ante Orationem praepara animam tuam*; quod autem cum humilitate, et animae munditia accedendum sit ad orandum ut quis exaudiri mereatur, clarissime patet ex Scripturis. In eodem nempe Ecclesiastico, sed cap. 35. v. 21. legitur: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*; et Deus ipse apud Isaiam cap: 66 v. 2. ita expresse loquitur: *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos.* Unde Iob cap. 11. v. 24. Habetur: *Si iniquitatem, quae est in manu tua abstuleris a te... tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis*; aliunde autem: *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Prov. cap. 28.

(2) Nam: *Spiritus est Deus*, ait Christus Dominus, Ioan. 4. v. 24. *et eos qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportat adorare.* Hinc qui sine interna attentio-

pro se (1); petat necessaria ad salutem consequendam, et quidem in nomine Salvatoris (2); 4. Ut oratio fiat pie, hoc est cum fide, spe, et charitate (3); 5. tandem ut fiat perseveranter (4).

---

ne animi oraret, esset de illo Populo, de quo dixit idem Christus. Matt. c. 15. v. 8. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Unde de se aiebat D. Paulus 1. Cor. cap. 14. v. 15. *Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente.*

(1) Non quia pro aliis non sit orandum; sed quia orando pro alio dari potest, quod ille opponat aliquod obstaculum, et sic oratio infructuosa evadit, juxta illud: *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio.* Ierem Thren. 3. v. 4.

(2) Nam ait Christus Ioan. 16. v. 23. *Amen, amen dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Iam vero non petitur in nomine Iesu Christi Salvatoris, quod non est ad salutem necessarium ut ait S. Augustinus Tract. 58. in Ioan. Ergo nonnisi necessaria ad salutem aeternam consequendam oratione petere debemus.

(3) Ita enim promisit Salvator noster omnibus in se credentibus apud S. Matt. cap. 21. v. 22. *Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et S. Iacobus Apostolus cap. 1. v. 6. svae Epist. cap. 1. v. 6. scribit: *Postulet in fide nihil haesitans: qui enim haesitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur, et circumfertur. Non ergo existimet homo ille quod accipiet a Domino.* Hinc Apostolus ad Hebraeos scribens cap. 4. v. 16. inquit: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus.*

(4) In perseverantia siquidem orationis constituit Dominus vim impetrandi quod cupimus; inquit enim apud S. Lucam cap. 18. *Oportet semper orare, et non deficere.* Hinc quando orantes videtur nobis a Deo non exaudiri, non ideo ab oratione cessare debemus, sed perseverare in oratione: *Sane quaedam*, scribit S. Augustinus (Tract. 73. in Ioan.) *quamvis in nomine eius pe-*

Q. *Exaudiuntur ne peccatores etsi non omnes recensitas conditiones in orando posuerint?*

R. Peccatores qui orant propter pium desiderium quem habent Deo se reconciliandi, esto non ponant omnes recensitas conditiones in orando, et ipsi a Deo exaudiuntur; idque non de condigno, quia meritum non habent, sed pura Dei misericordia, et benignitate, qua *facit oriri solem suum super bonos et malos; et pluit super justos et injustos* (1). Hinc exaudita fuit Maria Magdalene, quae erat in Civitate peccatrix: exaudita fuit Chananaea; Centurio, et ipse Latro in Cruce.

Q. *Cur aliquando Deus aut negat, aut diutius tardat concedere quod petimus?*

R. Tribus praecipue de causis; 1. ut doni quod postulamus capaciores efficiamur, ardentius illud desideremus, avidius prosequamur, pluris existimemus, et sollicitius conservare enitamur; 2. Ut per propriae indigentiae, et infirmitatis experientiam, in humilitate proficiamus; 3. Ut Deus nos sibi magis devinciat.

Q. *Cuinam oratio dirigi debet?*

R. Deo soli, qui est unicus, et praecipuus auethor bonorum omnium, quae petere debemus (2); et quidem in nomine Iesu Christi salvatoris nostri (3).

---

tamus...non tunc quando petimus, facit, sed tamen facit...differtur enim quod petimus, non negatur. Verumtamen orantes, tamquam seminantes, non deficiamus; tempore enim suo metemus.

(1) Matth. V. v. 45.

(2) Siquidem: *Omne datum optimum*, ait S. Iacobus Apostolus Cap. 1. v. 17., *et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Nam oratio eo directe tendit ut gratiam postulemus, et gloriam; Atqui solus Deus utrumque dare potest, juxta illud Davidis Psal. 83. v. 17. *Gratiam, et gloriam dabit Dominus*; Ergo etc.

(3) Etenim, uti ex Actibus Apostolorum cap. 4. v. 12. *Non est aliud Nomen sub Coelo datum hominibus, in*

Q. *Ergo inutile est, et vanum oratione ad Sanctos recurrere?*

R. Non solum non est inutile; sed utilissimum. Nam cum Sancti in Coelis, vi lumine gloriae, omnia in Deum videant, sciunt proinde quibus in hac misera vita, nos indigemus; unde a nobis pie, et humiliter rogati, pro nobis apud Deum intercedunt; et quoniam sunt amici Dei, ab ipso obtinent quod pro nobis petunt; atque ita, quod nostra possiblitas non obtinet, eorum intercessione nobis donatur.

Q. *Possumus ne animabus Purgatorii orationes dirigere, et earum intercessione aliquid in necessitatibus obtinere?*

R. Adest dissidium inter Theologos. Sed dicendum est posse. Nam animae in Purgatorio degentes, esto quia non sunt amplius in statu viae, non possint pro se ipsis, amplius mereri, utpote tamen Deo charae et ei amichae, possunt apud eum pro nobis intercedere, et obtinere ab eo, quod petimus. Neque obstat, quod cum lumine gloriae non fruantur, et longe a nobis sint positae, nesciant quid hic nobis necesse sit; nam permittente Deo, possunt id scire per Angelos custodes. Unde est fere communis fidelium praxis, in necessitatibus Animas Purgatorii invocare non sine spirituali, atque temporali utilitate, ut pluries experientia compertum est.

Q. *Quo in loco est orandum?*

R. Vel loquimur de oratione privata, et haec fieri potest omni loco; cum namque Deus sit ubique, et in omni loco praesens, in omni loco potest deprecari, et orationes nostras exaudire(1); vel loquimur de oratione

---

quo oporteat nos salvos fieri; Hinc Salvator ipse dixit, Joan. 14. v. 18. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio.*

(1) Hinc David excitans seipsum ad Deum orandum, et laudandum ajebat. *In omni loco dominationis*

publica, et haec licet quandoque in aliis locis fieri possit, praecipue tamen fieri debet in Ecclesia, quae est locus ad illam faciendam a Deo electus, et consecratus (1).

D. *Quodnam tempus, diurnum ne vel nocturnum, est magis idoneum ad orandum?*

R. Tempus nocturnum. Unde David de scipso fatetur:(2)*Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo.* Et de Iesu Christo apud S. Lucam (3) legitur, quod *erat pernoctans in oratione Dei.* Idipsum imitati sunt, qui per orationem, commercium cum Deo habere voluerunt, et ab eo in suis petitionibus exaudiri.

---

ejus benedic anima mea Domino; et Apostolus ad Timotheum scribens(Epist. 1. cap. 2. v. 8.) dixit: *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira, et disceptatione.*

(1) Ait namque Dominus (Lucae cap. 19. v. 46.) *Domus mea domus orationis vocabitur.* Et jam olim dixerat Deus Salomoni; (2. Paralip. 7.): *Elegi locum istum mihi in domum sacrificii, si clausero Coelum, et pluvia non fluxerit, et mandavero, et praecepero locustae, ut devoret terram: conversus autem populus meus...deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit poenitentiam a viis suis pessimis, et ego exaudiam de Coelo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum: oculi quoque mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Proinde* concludit S. Bernardinus Senensis(Serm. 10. Dom. 1. Quad. art. 3. cap. 1.)*debet populus convenire ad Ecclesiam, qui proprie locus orationis est; debent enim omnes ibi orare.*

(2) Psal. 118.

(3) Cap. 6. v. 15.

CAPUT IV.

De actibus externis Religionis, et praesertim de laude Dei, seu de Horis Canonicis.

Q. *Quid sunt Horae Canonicae?*

R. Horae Canonicae sunt quaedam preces vocales ab Ecclesia praescriptae, statutis quibusdam horis, nomine ipsius Ecclesiae, a personis ad id specialiter deputatis recitandae ad orandum, et laudandum Deum (1).

Q. *Horae huiusmodi vocantur ne alio nomine?*

R. Vocantur *Breviarium*, et *Officium divinum*? Vocantur Breviarium, quia in uno libro complectitur et continet lectiones breves ex Sacra Scriptura, et Homiliis Patrum excerptas, in singulis diebus distributas in commodum Clericorum; dicuntur vero Officium divinum, quia Deo persolvuntur.

Q. *Quot sunt Horae Canonicae?*

R. Sunt septem; nempe Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, et Nona, Vesperae, et Completorium.

Q. *Unde oritur obligatio recitandi Horas Canonicas?*

R. Oritur a tribus titulis; scilicet ab Ordine Sacro (2); a beneficio; et a religiosa professione.

---

(1) Preces hujusmodi dicuntur *Horae*, quia statutis horis sive diei, sive noctis persolvuntur. *Canonicae* autem vocantur, quia per sacros Canones fuerunt praescriptae; vel quia a Canonicis, vel Clericis recitantur, qui Ecclesiae Canoni, vel Catalogo erant adscripti, et quibus pro substentatione quaedam contributio dabatur, dicta praebenda, vel *sportula*.

(2) Uti constat ex antiquissima Ecclesiae consuetudine, et variis Summorum Pontificum Decretis. Hinc sub mortali tenentur recitare Horas Canonicas omnes Majoribus Ordinibus initiati; videlicet Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, esto nullum habeant Beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti.

Q. *Clerici suspensi, excommunicati, aut degradati tenentur ne ad recitandum Divinum Officium?*

R. Tenentur; ne *videantur de sua malitia commodum reportare* (1); et ex suo delicto meliorem facere conditionem suam (2), quod non licet.

Q. *Qui metu gravi, injuste incusso, Ordinem Sacrum suscepit, tenetur ne recitare Horas Canonicas?*

R. Si libere utitur Ordine Sacro, tenetur Horas Canonicas recitare, secus autem non.

Q. *Quando subdiaconus obligatur ad Divinum Officium recitandum?*

R. Eadem ipsa die suae ordinationis; et proprie ab illa hora, quae correspondet horae, in qua ordinem suscipit.

Q. *Tenetur ne ad recitationem Divini Officii, qui habet beneficium ita tenue, quod annui ipsius redditus non adaequant titulum Ecclesiasticum a lege Dioecesana requisitum?*

R. Ad illud quotidie recitandum non tenetur, sed in aliquibus tantummodo diebus, quos ipsi Episcopus praescripserit.

Q. *Qui habet beneficium, sed fructus illius non percipit, tenetur ne ad Horas Canonicas recitandas?*

R. Si propria culpa, fructus ex beneficio non percipit, tenetur; Nam, alias commodum ex culpa sua reportaret, quod admitti non debet. Si vero ob alias rationes, praedictos fructus non percipit, scilicet vel quia domus est diruta, et non dat consuetos redditus, vel quia locator non potest solvere, quia non habet, unde ipsi pretium locationis solvat; vel territorium, propter aliquod incendium, alluvionem, vel devastationem non amplius fructificat, et tunc non tenetur, esto non desint, qui aliter sentiant.

---

(1) *Cap.* Intelleximus 7. *de Judicii.*

(2) Nam 1. *Nemo ex suo ff. de Regul: Juris: Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.*



Q. *Religiosi professi utriusque sexus Choro addicti tenentur ne sub gravi culpa ad recitandum Officium Divinum, etiam extra Chorum?*

R. Nulli dubium est, quod teneantur (1).

Q. *Quale Officium recitari debet?*

R. Si loquimur de Clericis secularibus, et debent recitare Officium illud, quod est in propria Dioecesi adprobatum; Si vero loquimur de Regularibus, et debent Officium illud recitare, quod est in propria Religione cujusque adprobatum, et secundum illum ordinem, qui praescribitur a Directorio ad tale effectum ordinatum (2).

---

(1) Hinc Clerici professi, speciatim illi qui sunt Religionis S. P. Francisci, virtute propriae professionis, ab hora illius diei, in quo professionem emittunt, ad Divinum officium recitandum obligantur, ita ut si ob aliquam circumstantiam acciderit non interesse Choro, debent illud private recitare, et aliter facientes, sine aliqua causa excusante, mortaliter peccant.

(2) Itaque peccat mortaliter, nec satisfacit praecepto recitandi Officium Divinum, qui data opera, mutat Officium hujus diei in aliud Officium notabiliter brevius. Hinc merito Alexander VII. Anno 1666. hanc damnavit Propositionem: *In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit praecepto.* Hoc enim modo, non solum sine causa variatur forma ab Ecclesia praescripta, sed omittitur etiam magna et notabilis pars Officii diei, et propterea est peccatum mortale. Quinimmo, probabilius etiam mortaliter peccat, qui data opera, et absque rationabili causa, mutat Officium hujus diei in aliud Officium ejusdem, atque etiam majoris longitudinis. Nam « Officium Divinum hac die ab Ecclesia » praescriptum, ut bene notat P. Lucius Ferraris V. » Offic. art. 3. n. 45. sunt hi Psalmi, hi Hymni, hae » Lectiones etc.; et forma tali die determinata a S. Pio » V. est praescripta veluti substantia rei praeceptae; » Sanctus enim ille Pontifex non praecipit Officium Di» vinum in genere, sed Officium tale juxta occurren-

Q. *Quid dicendum de illo, qui unum Officium pro alio recitavit?*

R. Si culpabiliter hoc fecit, puta recitavit Officium de Confessore pro Officio de Apostolo, et juxta probabiliorem sententiam, tenetur illud repetere, alias peccabit mortaliter, ut mox exposuimus; Si vero absque culpa, et inadvertenter hoc fecit, laudabile foret si saltem ea repeteret, quae propria sunt Officii, cujus recitationem permutavit; quod si non facit, probabilius est, nec etiam venialiter peccare, quia jam Ecclesiae praecepto satisfecit; neque praesumendum est, Ecclesiam velle ad Officium, illum obligare, qui sine culpa est. Ferraris ut supra n. 47.

Q. *Quid agendum est ei, qui inadvertenter incaepit recitationem Officii non praescripti, et recitato Matutino, ex: gratia, errorem advertit?*

R. Melius ageret si Officium quod recitavit repeteret; at si hoc facere non vult, recitet Officium illius diei, saltem quoad reliquas Horas, et solum repetat Antiphonas, Versus, Collecta, et alia propria Officii illius festi, de quo juxta Rubricas, recitandum erat Matutinum, ut sic suum errorem corrigat.

Q. *Petrus per errorem, vel inadvertentiam recitavit Officium, quod alia die erat recitandum, debet ne iterum tale Officium recitare, adveniente illa die?*

R. *Affirm.* Nam pro tali die adest obligatio recitandi tale Officium; adeoque cum non sit ei satisfactum per illam anticipatam recitationem, quia recitatio talis Officii est onus adnexum tali diei, debet illud iterum recitare (1).

» tiam Festorum, aut dierum, ut patet ex ejus toties » citata Constitutione incip: *Quod a nobis.* Dicere au» tem, obligationem illam, in re tanti momenti et pon» deris, esse levem, videtur omnino sine fundamento.

(1) » Unde sequitur, ait Ferraris (loco cit. n. 50) » quod qui sic erravit, debet potius eo anno penitus

Q. *Clericus sive saecularis, sive Regularis qui extra suam Dioecesim, vel Monasterium, alibi tanquam peregrinus, et advena moratur, potest ne recitare Officium suae Dioecesis, vel Monasterii?*

R. Generaliter loquendo potest, immo debet (1) At loquendo de Regularibus Choro addictis, isti tenentur semper recitare illud Officium, quod recitatur in illo Monasterio, in quo morantur sive ut advenae, sive ut de familia (2).

Q. *In qua hora diei incipit obligatio recitandi Divinum Officium?*

R. Incipit a puncto mediae noctis praecedentis diei, et desinit in hora mediae noctis diei sequentis, excepto Matutino cum Laudibus, quod per consuetu-

---

» illud Officium omittere quam Rubricas invertere, il-
» lud in alium diem transferendo, cum non sit prae-
» ceptum recitandi semel in anno de tali Sancto, sed
» recitandi tali die ».

(1) Id clare evincitur ex Decreto Sacrae Congregationis Rit. die 8. Septembris 1602, quod ita se habet. *Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiae debent recitare Officium, quod in Choro dicitur; et licet extra Ecclesiam vel Dioecesim morentur, decet eos recitare Officium proprium Ecclesiae ipsorum.*

(2) In Rubricis namque peculiaribus Breviarii Nostri Franciscani, n. 243. et 144. ita legitur. *Cum ex Decreto Sacrae Rit. Congregat. die 8. Septemb. 1602. emanato, qui sunt de gremio alicujus Ecclesiae, debeant recitare Officium, quod in illius Choro dicitur, et aliunde cum fratres reipsa de gremio illius Ecclesiae censeantur, cujus Choro sive ut hospites, sive ut moratores, sunt obligati; Hinc tamquam certum tenendum, ipsos, dum sunt praesentes, etiam ut hospites in aliquo conventu Ordinis facere Officium tam de festis, quam de Octavis sicut fit in Conventu illo, quamvis per Ordinem generaliter de iis non fiat, postquam vero ab illo Conventu recesserint, ad Officium consuetum redeant.*

dinem communiter introductam, recitari potest die antecedenti post Vesperas (1).

Q. *Quale est proprie tempus recitandi singulas Horas Canonicas?*

R. Matutinum recitandi tempus est circa mediam noctem; Laudes circa auroram; Primam ad ortum Solis; Tertiam tempore medio inter ortum Solis et meridiem; Sextam a Tertia etiam usque ad meridiem; Nonam tempore medio inter meridiem, et Solis occasum; Vesperas ad Solis occasum; Completorium sub crepusculum noctis.

Q. *Quare in Quadragesima Vesperae dicuntur ante meridiem?*

R. Cum antiquis temporibus, Vespertinis tantum in horis coenaretur, ideo ne Vespertinae Horae nimis diu differrentur, statutum fuit ut recitarentur ante prandium. Cum vero hora prandii, de Ecclesiae benignitate, ad meridiem sit iterum redacta, ad conservandam memoriam antiquitatis, in Quadragesima, ante meridiem Vesperae recitantur (2).

---

(1) Hinc qui intra dicti temporis latitudinem Divinum non recitavit Officium, obligationi illud recitandi, non satisfecit; adeoque graviter peccavit; et dato quod eo tempore elapso, illud recitet, non ideo illius obligationi satisfacit, neque a culpa gravi potest excusari, quia recitatio Divini Officii est onus affixum diei: unde transacta die, et Officio intra latitudinem ejus, non recitato, inutile est illud altera die supplere.

(2) Nulla tamen adest obligatio Vesperas, dicto tempore, recitandi ante prandium, itaut peccaret qui aliter faceret. Unde scribit Lucius Ferraris V. *Off. Div. art.* 4. n. 18 « Cum ad conservandam dictam memoriam » antiquitatis sufficiat publica recitatio Vesperarum in » Choro, congruum, et congruentius erit, privatim re» citare Vesperas suo congruo tempore, scilicet a me» ridie usque ad occasum Solis, uti recitantur extra » Quadragesimam » Idque pluribus Auctoribus confirmat.

Q. *Qui die antecedenti recitat Matutinum, potest ne post ipsum recitare Officium Defunctorum, vel Litanias Rogationum quando praescribuntur?*

R. *Negat.* Nam laudatae preces sunt addictae certis determinatis diebus; et consuetudo anticipandi Divini Officii recitationem est pro solo Matutino, et Laudibus, non pro aliis Horis.

CAPUT IV.

De Modo Horas Canonicas recitandi.

Q. *Quo modo persolvendae sunt Horae Canonicae?*

R. 1. Sine interruptione, hoc est continuate; 2. voce clara, et distincte; 3. Attente; et 4. devote.

Q. *Quid intelligitur, quod Horae Canonicae, recitandae sint continuate, et sine interruptione?*

R. Per recitationem continuatam, et non interruptam Horarum Canonicarum, non intelligitur quod omnes Horae recitari debeant una post aliam, sine interruptione; hoc est sine ullo intervallo inter unam et alteram Horam; sed quod quaelibet Hora incaepta ac sit recitari, non interrumpatur, sed tota continue recitetur usque ad finem.

Q. *Si in medio alicujus Horae parvae fieret aliqua notabilis interruptio, quale peccatum committeretur?*

R. Si talis interruptio sine justa caussa fieret, tunc veniale peccatum committeretur. Si vero fieret rationabili, et justa de causa, tunc nullum committeretur peccatum, quia unitas Orationis non respicit substantiam praecepti, sed modum ipsius (1).

---

(1) Vid. Ferraris V. Offic. Div. Art. III. n. 32 et seq.

Q. *Quo ordine recitari debent Horae Canonicae?*

R. Recitari debent eo ordine quem Ecclesia praescripsit, nempe Matutinum ante Laudes; Laudes ante Primam; Prima ante Tertiam; Tertia ante Sextam; Sexta ante Nonam; et Nona ante Vesperas.

Q. *Si quis talem ordinem inverteret, quomodo peccaret?*

R. Si absque rationabili, et justa causa id faceret, peccatum veniale committeret; quia talis inversio, substantiae praecepti non obstat, cum istud Canonicarum Horarum recitationem exigat intra latitudinem unius diei naturalis. Si vero justa de caussa talem ordinem inverteret; et tunc non peccabit.

Q. *Qui Missam celebrat non recitato prius Matutino, quale peccatum committit?*

R. Dissidium est inter Theologos. Volunt namque aliqui, committere peccatum grave, eo quia recitatio Matutini ante Missam est a Rubricis praescripta, a Pontificibus inculcata, et consuetudine generali confirmata. Sed haec sententia nimis rigida visa est aliis (1). Unde probabilius tenent hodie communiter, peccare solum venialiter; Immo nec etiam

---

(1) Nam « Consuetudo quam opponunt, inquit Daniel Concina *Tom. 2. Theol. Chr. Lib. 2.* dist. 2. » q. 6. non obligat sub gravi culpa; quod autem in » Rubricarum libello cavendum dicitur, ne ante Matutini recitationem celebretur Missa, non propterea » sequitur, culpam perpetrare lethalem eum, qui talem » ordinem violat; quia licet omnes Rubricae conjunctim » acceptae, quaeque formam substantialem Ritus constituunt, obligent sub gravi, non tamen quaelibet divisim accepta. Numquid aliae Rubricae, quae vel in » Breviario, vel in Missali habentur, totidem sunt » praecepta, quae sub lethali culpa obligant? Vae recitantibus Officium vel celebrantibus Missam si omnes » Rubricae essent de praecepto graviter obligante.

venialiter, si quis rationabili ex causa, celebrationi Missae Matutinum non praemitteret.

Q. *Quomodo peccat, qui aliquam Officii Divini partem non recitat?*

R. Si absque gravi causa excusante partem Divini Officii notabilem omittit, puta integram Horam parvam, Nocturnum; tres Lectiones cum Responsoriis, vel interrumptim per totum Officium omittit quantum aequivalet integrae Horae parvae, et tunc peccat mortaliter; secus vero si partem parvulam omittit.

Q. *Quid dicendum de Vesperis tam brevibus, Sabati Sancti?*

R. Dissident inter se Theologi. Alii dicunt esse tantum veniale eas omittere, quibus consentit P. Lucius Ferraris; Alii, et quidem probabilius, volunt esse mortale; idque non propter quantitatem; sunt enim brevissimae; sed ob qualitatem, quia nempe sunt integra Hora, et magnum continent Mysterium.

Q. *Quot peccata committit, qui totum Officium Divinum non recitat?*

R. Vel non recitat sine justa causa excusante, et probabilius est, tot peccata committere quot Horis Officium Divinum constat, in confessione explicanda. Si vero omittit ex caussa legitima excusante, et non peccat.

Q. *Quaenam pronunciatio requiritur in recitatione Horarum Canonicarum?*

R. Requiritur pronunciatio vocalis externa, clara et distincta. Quare Horarum Canonicarum recitationi non satisfacit, qui sola mente eas recitat sine verborum pronunciatione.

Q. *Debet ne pronunciatio esse ita clara, ut qui recitat Officium Divinum, modo nihil obstest, possit audire seipsum?*

R. Si qui Officium recitat est solus, et tunc, ut satisfaciat, sufficit quod illum recitet attente, et distincte proferat verba; neque necesse est quod au-

diat seipsum, quia obligatio non est audiendi, sed recitandi Officium. Si vero recitat Officium cum socio, et tunc necesse est quod verba tam clare, atque distincte pronuntiet, quod possint ab illo audiri, et ille auditu supplere possit, quod per seipsum recitare omittit

Q. *Quid est intentio?*

R. *Intentio*, generaliter loquendo, *est actus voluntatis, quae aliquid efficere sibi constituit.* In praesenti autem materia, *Intentio est velle Horarum, Canonicarum recitatione, orare et laudare Deum.*

Q. *Quotuplex est Intentio?*

R. Intentio duplex est, alia *expressa*, et *formalis*, alia *implicita* et *virtualis*. Prima habetur quando quis volens se ad Officii recitationem applicare, expresse facit hunc actum: *Volo orare et laudare Deum*; Secunda habetur quando quis accipit Breviarium; vel suo tempore in Chorum se confert ad Divinum Officium recitandum.

Q. *Quid est attentio?*

R. *Attentio est actus intellectus advertentis ad id, quod vel ipse, vel alius facit.*

Q. *Quotuplex est attentio?*

R. Attentio relate ad Divini Officii recitationem triplex est; nempe 1. ad Deum; 2. ad verba; et 3. ad sensum verborum.

Q. *Quotuplex est Devotio?*

R. Devotio triplicis est generis; 1. nempe *Interna*; 2. *Externa*; et 3. *Mixta*. Devotio interna consistit in quodam pio mentis affectu in Deum. Secunda consistit in officiosa, et decenti corporis compositione. Tertia in utraque simul devotione, interna scilicet, et externa.

Q. *In Horarum Canonicarum recitatione est ne necessaria aliqua intentio?*

R. Utique est necessaria; si non alia, sal-

tem implicita, qualis est illa orandi, et laudandi Deum (1).

Q. *In Horarum Canonicarum recitatione requiritur ne attentio?*

R. Requiritur vera attentio, hoc est animi advertentia; aliter ipsarum recitatione, Deus labiis tantummodo laudaretur, et oraretur, non vero mente et corde, uti oportet (2).

Q. *Qualis attentio ex praedictis requiritur in recitatione Horarum Canonicarum?*

R. Esto inter praedictas recitandi Horas Canonicas attentiones, attentio ad verba sit infima; attentio ad sensum sit perfectior, et attentio ad Deum sit perfectissima, nihilominus ad satisfaciendum re-

---

(1) Sane Horarum Canonicarum recitatio non praescribitur, nisi tamquam oratio, et Dei cultus; hinc qui legendo Horas non intendit orare, et laudare Deum, sed tantum aut memoriter eas addiscere, aut scire Historias in illis contentas, aut aliis manifestare quod legit, non satisfacit.

(2) Hinc qui sine attentione Horas Canonicas recitaret, non solum suae obligationi non satisfaceret, atque hinc mortaliter peccaret, sed et insuper mereretur audire convicium quod olim Populo Judaico fecit apud S. Marcum Ca. VIII. v. 6. Christus Dominus, cum dixit: ***Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*** Et re quidem vera: Oratio ex Damasceno, ***Est elevatio mentis in Deum***; Quomodo igitur sine attentione consistere poterit Oratio? Erit oratio ficta, simulata, et apparens, Deo indigna, qui non solis labiis externe, sed in spiritu et veritate coli debet. Merito propterea Cap. ***Dolentes***, ***de Celeb.*** Miss. habetur: ***districtae praecipimus in virtute S. Obedientiae, ut Divinum Officium studiose celebrent, ac devote***; ea scilicet animi attentione, quae decet ei, qui Deum sibi praesentem considerat, ipsumque laudare intendit.

citationi dictarum Horarum sufficit prima, scilicet attentio ad verba (1).

Q. *Quotuplicis generis est distractio; et quid dicendum de distractionibus in Divini Officii recitatione?*

R. 1. Distractio duplicis est generis; scilicet *voluntaria in se, et voluntaria in causa*. Distractio voluntaria in se est, quando quis scienter, et deliberate mentem suam extraneis cogitationibus pascit, vel facit ea, quae componi non possunt cum illa attentione cum qua Officium Divinum recitari debet; distractio autem voluntaria in caussa est quando quis distrahi nollet, sed interim libere facit ea, ex quibus secuturam esse distractionem praevidet.

R. 2. Peccant mortaliter omnes illi, qui cum distractione voluntaria sive in se, sive in caussa recitant aliquam partem notabilem Divini Officii; dummodo tamen illa non repetant quae distracte recitarunt.

Q. *Satisfacit ne obligationi Divinum Officium recitandi ille, qui dum illud recitat, in actionibus externis se occupat?*

R. Si actiones externae in quibus se occupat, componi possunt cum attentione, et devotione debita in recitatione Divini Officii; uti esset induere se vestibus, abluere manus, lente deambulare; oculos dirigere in aliquod viridarium etc., et in tali casu satisfacit, quia praedictae, et similes actiones, tanta fiunt facilitate, quod veluti per habitualem assuefactionem exequantur; neque talem attentionem requirunt, quae

(1) Et sane si ita non esset, nec Moniales Choro addictae, neque major pars Clericorum recitationi Officii Divini satisfaceret. Quis enim est qui nesciat, quam difficile sit, vel ipsis sublimi ingenio praeditis, Sacras Scripturas intelligere, et maxime Psalmorum, verum sensum adsequi?

posset mentem a recitatione Divini Officii distrahere. Si vero supradictae actiones conciliari non possunt cum attentione, et devotione necessaria in recitatione Divini Ofcii; uti esset scribere, laborare, negotia expedire etc., tunc non satisfacit.

Q. *Quo corporis situ recitari debet Officium Divinum?*

R. Si loquimur de Officio publico in Choro, et recitandum est eo corporis situ qui a Rubricis praescribitur; hoc est sedendo, stando, genuflectendo; Si vero loquimur de Officio privato, et tunc in quocumque situ recitari potest; sive scilicet sedendo, sive leviter deambulando, sive genuflectendo. Sine tamen necessitate, et rationabili caussa, peccatum veniale non effugeret, qui illud, in lecto recumbens, recitare praesumeret.

Q. *Quo in loco Officium Divinum debet recitari?*

R. Si loquimur de Officio privato, et tunc recitari potest in omni loco, in casu necessitatis etiam sordido et indecenti; dummodo tamen non sit expositus, et qui caussa esse poterit distractionis et alienationis mentis. Si vero loquimur de Officio Publico, et istud recitari debet in Ecclesia, vel in Choro ad Officium Canonicum recitandum destinato.

Q. *Si quis in statu peccati mortalis existens, Divinum recitat Officium, satisfacit ne Ecclesiae praecepto?*

R. Si qui Divinum recitat Officium est in peccato mortali, sed aliquod habet desiderium a peccato exeundi, et ad Deum reverti, satisfacit praecepto Horas Canonicas recitandi; quia ita est sufficiens dispositus, et pie, atque utiliter orat; et talis ejus oratio, licet a Dei spiritu qui in ipso habitet, non sit animata; animata tamen est a Spiritu Dei, qui ad januas cordis illius pulsat, et movet. Si vero, quod absit, iste talis habet actuale peccandi propositum si-

cut antea, et tunc praecepto recitandi Horas Canonicas non satisfacit, quia ille, in tali casu, neque vere, neque pie orat.

Q. *Ad satisfaciendum recitationi Divini Officii in Choro quot personae requiruntur?*

R. Saltem quatuor personae ad psallendum in Choro necessariae sunt (1); quoniam ita verificatur, quod Officium Divinum alternatim recitatur (2).

---

(1) Quae, loquendo de Regularibus, sufficiunt, etiamsi sint Clerici Novitii, uti volunt plures auctores, quos citat P. Lucius Ferraris V. Off. Div. art. 1. « Et » ratio est, *ut ipse scribit,* quia Novitii, in favorabilibus, » reputantur Religiosi professi, adeo ut dici possunt » pars, et membrum Communitatis, ac proinde satisfa- » cere obligationi Chori; tum quia sicut gaudent pri- » vilegiis professorum, ita possunt concurrere ad im- » plenda illorum onera, cum per hoc non possint dici » subesse oneribus professorum, sed posse implere illa, » loco professorum. Verum contraria sententia tutior » existimanda est; Quia servitium Chori, *ut idem ad-* » *dit ex Donato*, est onus personale Professorum, quod » nequit per non professos adimpleri, nisi ex causa » justa, et necessaria. »

(2) Dictum est, *quatuor saltem personae,* quoniam in Conventu ubi sunt plusquam duodecim personae Choro obligatae, Superior graviter peccaret contra vigilantiam a suo Officio requisitam, si quatuor solis qui in Choro psallerent, contentus, sine justa caussa, aut dispensaret, aut non cogeret alios ad interveniendum Choro; ita ut major pars Communitatis Divina Officia in Choro non recitaret. Atque hanc esse sententiam communem Doctorum, scribit P. Cuniliati Tract. IV. de I. Decal: Praec. Cap. 4. §. 1.

CAPUT V.

De Caussis a Divini Officii recitatione excusantibus.

Q. *Quaenam sunt caussae, quae excusant a Divini Officii recitatione?*

R. Secundum omnes Theologos, quatuor sunt caussae a recitatione Divini Officii excusantes; nempe 1. *Infirmitas*; 2. *Instantanea*, et imprevisa *occupatio*; 3. *Impotentia*; et 4. *Dispensatio*.

Q. *Quaenam infirmitas excusat a Divini Officii recitatione?*

R. Infirmitas non quaecumque, sed gravis; quando scilicet infirmus nequit sine gravi incommodo, et morbi aumento Divinum Officium recitare. Nam cum Leges Ecclesiasticae non obligent cum gravi incommodo; Lex recitandi Divinum Offi ium, cum sit Ecclesiastica, proculdubio cum notabili salutis detrimento non obligat.

Q. *Quid agendum si de gravitate infirmitatis dubitatur?*

R. In tali casu fidendum est consilio medici, et Superioris; atque id faciendum, quod ipsi praescribunt; Ita enim bona fide proceditur, et prudenter operatur. Quod si infirmus, nequeat quidem totum Officium recitare, potest tamen, absque incommodo, partem aliquam tantummodo recitare, in hoc casu ad hanc solam partem tenetur (1).

Q. *Cujus generis debet esse occupatio repentina, quae intervenit, ut excuset a Divini Officii recitatione?*

R. Debet esse gravis et honesta, ut non possit

---

(1) De facto Innocentius XI. Pontifex Maximus hanc damnavit Propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*

neque omitti, neque differri sine gravi scandalo, vel damno tam proprio, quam proximi; quia quando urget majus praeceptum cessat minus (1).

Q. *Quaenam impotentia excusat a recitatione Divini Officii?*

R. Impotentia intrinseca, uti esset caecitas, propter quam non posset legere; vel impotentia loquendi. Nam si ad satisfaciendum recitationi Divini Officii oportet ut legatur in Breviario, et articulentur verba, certe qui est caecus, et mutus, impotens est ad illud recitandum. Quod si caecus aliquam Divini Officii partem mente sciret, tunc ad illam recitandam teneretur.

Q. *Qui per seipsum recitare nequit Divinum Officium, potest ejus obligationi satisfacere, faciendo illud ab alio recitare?*

R. *Negative*; Quia obligatio recitandi Divinum Officium est personalis, et ideo nequit per alium satisfieri (2).

Q. *Quinam sunt qui a recitatione Horarum Canonicarum possunt dispensare?*

R. Summus Pontifex, stante justa, et rationabili caussa, potest a recitatione Horarum Canonicarum dispensare. Episcopi vero, et Regularium Praelati, ordinarie non possunt dispensare. In aliquibus vero casibus urgentibus, et pro varietate temporum, et circumstantiarum, et ex caussa quoque rationabili

(1) Hinc communiter a recitatione Divini Officii excusantur, qui ad moribundum vocati, tempus eis amplius non superest Officium recitandi; vel qui imparati, concionem ad Populum habere invitantur, et se negare, justis da causis non possunt.

(2) Hinc merito Summus Pontifex Alexander VII. hanc Propositionem ord. 21. damnavit. *Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi si Officium per alium recitet.*

id possunt, ad tempus tamen, non autem absolute, et in perpetuum, uti docent graves Doctores.

Q. *Qui titulo Beneficii Ecclesiastici tenetur ad recitationem Horarum Canonicarum, ad quid tenetur si illas recitare omittit?*

R. Si talis Beneficiatus absque ulla rationabili, et justa caussa, quae eum excuset, omittit recitare Horas Canonicas, tenetur restituere fructus, pro rata tamen omissionis; Ita ut si omisit integrum Officium Divinum, debet restituere integros fructus illi diei correspondentes. Si vero omisit solum Matutinum cum Laudibus, debet restituere medietatem; si vero omisit aliquam parvulam Horam, debet restituere sextam partem medietatis fructuum ejusdem diei.

Q. *Beneficiatus qui fideliter implevit omnia alia officia Beneficii, solummodo non implevit Horarum Canonicarum recitationem, potest ne retinere partem illam fructuum aliis ministeriis respondentem?*

R. *Maxime.* Hinc Beneficiatus, qui praeter obligationem recitandi Horas Canonicas haberet curam Parochi, Episcopi, aut Ecclesiae Rectoris, exacte adimpletis talibus ministeriis, potest recipere, et retinere illam fructuum portionem, quae illis correspondet, relicta parte Horis Canonicis non recitatis correspondente.

Q. *De quo, et cui facienda est dicta restitutio?*

R. 1. Si Beneficiatus habet bona patrimonialia, et tunc de istis facienda est restitutio. Si vero talia bona non habet; et tunc tenetur parciter vivere, ordinarias expensas minuere, ut quantum fieri possit, suae obligationi satisfaciat. Quod si ipse est vere pauper, et nimis tenui sunt fructus Beneficii, in tali casu poterit sibi, ut pauperi, applicare illos fructus, quos restituere deberet.

R. 2. Praedicta restitutio facienda est vel fabricae Beneficii; hoc est Ecclesiae, vel domui, vel agro ejusdem Beneficii; vel pauperibus tam loci ubi est Be-

neficium, quam extraneis, justa tamen naturalem aequitatem, quae vult quod pauperes loci, extraneis praeferantur.

Q. *Si Beneficiatus, antequam omitteret recitationem Horarum Canonicarum, dedisset eleemosynas pauperibus, posset ne cum illis supplere fructuum restitutionem?*

R. Non potest. Nam quando Beneficiatus fecit eleemosynam, donavit liberaliter, et gratuite; itaque non recitans Horas Canonicas, nequit cum illis eleemosynis obligationi justitiae satisfacere, qualis est fructuum restitutio, cum non habeat super illos aliquod dominium (1).

Q. *Beneficiatus, qui omisit recitationem Horarum Canonicarum, quando tenetur ad restitutionem fructuum, ante ne, vel post Judicis sententiam?*

R. Tenetur ante Judicis sententiam, et oppositum est a Pontifice Alexandro VII. damnatum (2).

Q. *Canonici, seu praebendati Ecclesiarum Cathedralium, atque Collegialium tenentur ne ad recitandum Officium in Choro?*

R. Tenentur; secundum tamen institutionem, et consuetudinem propriae Ecclesiae (3).

---

(1) Iure proinde, meritoque ab Alexandro VII. damnata fuit Prop. n. 133 *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas Beneficiarius de fructibus Beneficii fecerit.*

(2) Revera haec Propositio n. 20. a dicto Pontifice damnata fuit: *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit poena.* Et juste quidem, quia Lex restitutionis non est pure poenalis, sed conditionate poenalis; hoc est de non appropriando sibi fructus Beneficii, si propria culpa Horarum Canonicaumr recitatio omissa sit.

(3) Compertum namque est, non in omnibus Ecclesiis eamdem esse consuetudinem recitandi Officium

Q. *Canonicus qui sine legitima caussa Choro non intervenit, quale peccatum committit?*

R. Si Canonicus ultra tempus a Tridentino permissum deest a Choro, graviter peccat; si vero deest tantum per tres, vel quatuor dies, tunc venialiter tantum peccat.

Q. *Quaenam sunt legitimae caussae, et privilegia, vi quorum possunt Canonici esse exempti a Choro?*

R. Caussae legitimae propter quas possunt Beneficiati non interesse Choro, et nihilominus beneficiorum fructus percipere, non vero distributiones, sunt sequentes; 1. quando cum licentia Ordinarii per quinque annos morantur in aliqua Universitate, et incumbunt in studium Sacrae Theologiae, vel Iuris Canonici (1), sicuti etiam illi Canonici, qui in aliqua Universitate, vel studio generali docent Theologiam, Ius Canonicum, Grammaticam, et alias Artes, quae ad Jus Canonicum disponunt; 2. est, quando duo Canonici, pro Ecclesiae utilitate, sunt in Episcopi obsequium. (2); 3. est quando pro Ecclesiae utilitate Canonici sunt in summi Pontificis obsequium; 4. est legitima licentia (3).

Q. *Satisfaciunt ne Choro, et lucrantur distributiones Canonici, qui assistunt dumtaxat Choro, sed non cantant?*

R. Non satisfaciunt. Nam Canonici tenentur ex officio inservire Choro; Ast quomodo dici possunt, quod Choro inserviant illi, qui veluti statuae, absque

---

Divinum. In quibusdam enim, singulis diebus integrum Officium recitatur; in quibusdam aliquibus tantummodo diebus; et in quibusdam aliis neque singulis diebus, neque integrum recitatur.

(1) Ex Bulla Pii V. *Ad cujus aures, etc.*

(2) Cap. XV. *de Clericis non residentibus.*

(3) Cap. *eod. tit.*

vita ibi morantur, nec laudant Deum, nec cantu alios excitant ad idem faciendum? Institutio Canonicorum est, non ut adsint tantum in Choro, sed ut canendo assistant, et ob id dantur eis distributiones. (1)

Q. *In quas poenas incidunt illi Canonici, vel Praebendati, qui absque legitima causa Choro non intersunt?*

R. In duas poenas; 1. quod sunt ipso facto distributionibus quotidianis privati (2); 2. quod Praebendati, qui sunt a Choro absentes ultra tempus ipsis a Lege praescriptum; hoc est ultra tres menses permissos a Tridentino (3), pro primo anno, et pro prima vice spoliari debent medietate fructuum beneficii; si vero in negligentia persistent, privari debent omnibus Beneficii fructibus. Tandem si contumaces erunt, expoliari debent beneficio ipso.

Q. *Quid sunt distributiones quotidianae, et cui debentur?*

R. 1. Distributiones quotidianae nihil aliud sunt

---

(1) Hinc Tridentina Synodus (Sess. 24. c. 12. de Ref.) ita loquitur: *Omnes Divina per se, et non per substitutos compellantur obire Officium...atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis et Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Et sacra Concilii Congreg. super hoc interrogata, sub die 20. Aprilis 1602 *censuit teneri omnino psallere, alioquin non satisfacere.* Ultra quam quod onus frequentandi Chorum est annexum personis Canonicorum; et ideo, sicuti illorum residentia, et praesentia non potest per alios suppleri, ita nec etiam per alios suppleri potest obligatio Divinum Officium persolvendi. Quod si in aliquibus Festivitatibus solemnioribus Officia Divina cantarentur a Musicis, tunc sufficit Canonicis, ut submissa voce recitent illa quae cantantur a Musicis.

(2) Decreto Bonifacii VIII. In Cap. unico *de Clericis non residentibus in* 6.

(3) Trid. Sess. 24. Cap. 12.

quam illa portio redditunm Ecclesiasticarum, quae quotidie distribui solent illis Beneficiatis, qui statutis horis Choro intersunt ad recitandum Officium Divinum. Ipsarum quantitas, juxta Concilium Tridentinum (1), deberet esse tertia pars proventuum ex omibus Beneficiis; sed hoc Concilii Statutum non est ubique in praxi.

R. 2. Distributiones quotidianae illis solis debentur, qui Choro intersunt.

Q. *Quando habetur collusio, vel remissio?*

R. Collusio habetur quando Canonici conveniunt inter se, ut non notentur absentes, esto revera absentes fuissent. Remissio autem habetur quando persona spontanee, et absque conventione aliqua, alteri parti, quotidianas distributiones remittit, vel relaxat.

Q. *Quibus de caussis Canonicus, qui non intervenit Choro, potest lucrari quotidianas distributiones?*

R. Tribus de caussis; 1. *gravis infirmitas*; aut quae, esto sit levis, interventu tamen Choro, gravis fieri potest (2); 2. est *rationabilis impotentia*, vel corporalis necessitas (3); et 3: evidens necessitas vel

(1) Ita statutum est per plures Leges, sed specialiter a Bonifacio VIII (*De clericis non residentibus* in 6); et a Concilio Tridentino (Sess. XXIV. Cap. 12) quod pro talis Statuti magis exacta, et religiosa observantia, prohibuit omnem collusionem, vel remissionem inter Beneficiarios.

(2) Hinc illi qui evadit caecus, a die in quo visum amittit, debentur distributiones. Ille, qui per aetatem senilem, non potest commode Horis Chori interesse non debet talibus distributionibus privari; dummodo tamen antequam in illam caderet infirmitatem solitus fuerat a Choro non deesse; quia in tali casu, absentia ipsius a Choro non tribueretur infirmitati, sed voluntati, cum existimetur illum habere idem propositum non inserviendi Ecclesiae.

(3) Qua de re a Choro excusantur, et nihilominus

Ecclesiae utilitas; dummodo tamen gravis vere sit, judicio vel Episcopi, vel Capituli, et Ecclesiae propriae, vel Universalis, vel totius Dioecesis. Sub hac tamen intelligentia, quod ut aliquis lucretur distributiones ob aliquam ex adductis causis, non extenditur ad illas, quae per manifestam testatoris voluntatem non conceduntur illis, qui Choro non intersunt, uti sunt Anniversaria.

CAPUT VI.

De Adoratione, aliisque actibus externis Religionis.

Q. *Quid est Adoratio?*

R. Adoratio, generatim accepta, est Actus quo aliquis alteri se submittit in recognitionem illius excellentiae supra alios.

Q. *Quotuplicis generis est adoratio?*

R. Duplicis est generis; *Civilis* nempe, seu *Politica*, et *Sacra*, seu *Religiosa*. Adoratio politica est illa, quae alicui praestatur in testimonium humanae excellentiae, et potestatis supra alios (1). Adoratio autem sacra et religiosa est illa, quae alicui praestatur propter ejus Sacram, atque religiosam excellentiam, quam habet supra alios.

Q. *Quot sunt species adorationis sacrae?*

R. Tria sunt sacrae adorationis species; *Latria* nempe; *Hyperdulia*, et *Dulia*.

---

distributiones percipiunt, qui timent aliquod grave damnum sive in vita, sive in honore, sive in substantiis, et bonis. Item qui medicorum prudentum consilio domi se detinent ut accipiant medicinam; aut aeris intemperiem evitent; aut in domo rurali se conferunt ut salubriorem aerem respirent; aut injuste in carceribus detinentur; aut essent injuste excommunicati.

(1) Talis erat adoratio, qua, in Sacris literis fre-

Q. *Quid intelligitur nomine adorationis Latriae?*

R. Intelligitur ille supremus, et singularis Religionis actus, quo quis se submittit Deo, uti habenti supremum supra se dominium absolutum, atque omnimodam increatam potestatem.

Q. *Cuinam Latriae adoratio debetur?*

R. Latriae adoratio debetur Deo (1); toti Sanctissimae Trinitati, et singulis Personis ejus; Patri nempe, Filio, et Spiritui Sancto; ita tamen, quod distincte adorando unam Personam, aliae duae explicite non excludantur. Debetur Jesu Christo; quia est perfefectus Deus, et perfectus homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens. Adoratione eadem adoranda est Eucharistia, uti fides docet (2); quia in eo Sacramento

---

quenter legitur aliquos adorasse Reges. veluti Mulier Thecuita, quae ingressa ad Regem David (uti habetur ex Cap. 14. v. 4. lib. 1. Regum) ut intercederet pro Absalom exule: *caecidit coram eo super terram, et adoravit.* Nathan Proheta volens intercedere pro Salomone cum eodem Davide, fecit similiter; legitur nempe (Ib. Lib. 2 Cap. 1. v. 23. *Cumque introisset in conspectu Regis; et adorasset eum pronus in terram.* Judith cum in faciem *intendisset Holofernis odoravit eum, prosternens se super terram,* (Judith. Cap. X. v. 20); et ita alii; Atque talis est quoque adoratio, quae etiamnum Regibus, atque Imperatoribus a plerisque Populis, et Nationibus praestatur; adoratio nempe Civilis, et pure politica, non vero religiosa, et sacra.

(1) Unde Jesus Christus apud S. Matthaeum C. IV. v. 10 ait. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

(2) In Concilio enim Tridentino Sess. 18. Cap. V. can. 6. ita legitur statutum. *Si quis dixerit in Sancto Eucharistiae Sacramento, Christum Unigenitum Dei filium non esse cultu Latriae, etiam externo adorandum* etc. *vel non publice ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.*

realiter existit Christus Dominus, sub speciebus panis et vini, qui est verus Deus; atque hinc dignus qui adoratione Latriae adoretur.

Q. *Quaenam sunt signa externa cultus Latriae Deo debitus?*

R. Sunt tria; nempe *Templum*, *Altare*, et *Sacrificium*.

Q. *Nonne aedificantur Ecclesiae, eriguntur altaria, celebrantur sacrificia etiam Sanctis?*

R. Quando dicitur quod dedicantur Ecclesiae, eriguntur Altaria, et celebrantur Sanctis sacrificia, id nequit intelligi, fieri a nobis ad praestandum Sanctis cultum illum, qui solo Deo debetur, sed solùm, ut eorum memoriam honoremus.

Q. *Quid intelligitur per adorationem Hyperduliae, et cui praestatur?*

R: Adoratio Hyperduliae est illa, quae alicui praestatur ob singularem ejus supernaturalem excellentiam super alios. Haec adoratio soli Beatissimae Virgini Mariae tribuitur, ob superexcellentem, sublimissimam, et quasi infinitam Dignitatem, quam obtinet, ex eo quod est Mater Dei, qua, solo Deo excepto, cunctis aliis, sive in Coelo sive in terra, superior existit (1).

Q. *Quid est adoratio Duliae, et quibus praestanda est?*

R. Adoratio Duliae est illa, quae datur alicui propter excellentiam supernaturalem, quae splendet

---

(1) Audiatur Seraphicus Doctor S: Bonaventura in 3. dist. 3. q. 3. n. 19. *Quemadmodum enim excellentissimum Nomen habet, quod Virgo existens, Dei mater est, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae.* Hine jure meritoque ab Alex. VIII. damnata est sequens Prop. n. 26. *Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.*

in eo. Atque haec adoratio debetur Sanctis cum Deo in Coelo regnantibus ob illorum excellentem Sanctitatem, et gloriam quam habent in Paradiso.

Q. *Quaelibet dictarum specierum adoratio quotuplicis generis esse potest?*

R. Duplicis generis; *absoluta* scilicet, et *Relativa*. Adoratio absoluta est illa, qua aliquis honoratur propter suam excellentiam intrinsecam, quam habet (1); adoratio autem respectiva est illa, qua adoratur aliquiquis propter excellentiam alterius, quem repraesentant (2).

Q *Quid est Sacrificium?*

R. Sacrificii nomen dupliciter sumi potest, *improprie* nempe, et *proprie*. Sacrificium improprie sumtum, est quodlibet opus bonum in Dei honorem et glo-

---

(1) Ita adoratione absoluta latriae adoratur Deus. Jesus Christus; adoratione Hyperduliae absolutae adotur BB. Virgo Maria, utpote Mater Dei, et hinc excellentissimae, atque perfectissimae sanctitatis, et gloriae, super omnes alias puras creaturas. Adoratione vero Duliae absolute honorantur Sancti alii, utpote Dei amici, et Sanctitate, atque gloria ditati.

(2) Atque hac adoratione respectiva latriae adorantur imagines Jesu Christi, sicut etiam S. Crux in qua fuit Christus Dominus a Judaei confixus; nec non Adoratione Hyperduliae respectivae adorantur vestes BB. Virginis Mariae. Adoratione tandem Duliae respectivae adorantur Reliquiae, et imagines Sanctorum. et Imagines Angelorum, et Dei ipsius. Angeli enim pluries in forma humana apparuisse, apertissime testantur Sacrae Literae. Et Deus in forma senis praesertim apparuit, uti legitur apud Danielem C. 7. Quare Alex. VIII. sequentem n. 25. damnavit Prop. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare*. Prohibita nihilominus est Imago exprimens Trinitatem uno vultu trinasi, et trifauci. Et recte quidem; nam talis Imago nec rite, nec decenter exprimit Trinitatem.

riam factum, quod instar sacrificii, Deum placat, et nobis ipsum conciliat. Proprie vero sumtum, Sacrificium est oblatio externa rei sensibilis, per legitimam auctoritatem, a Ministro competenti instituta per immutationem rei, soli Deo facta, in protestationem supremi dominii illius in vitam et mortem.

Q. *Quotuplex est Sacrificium*?

R. Quadruplex est; scilicet *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *Propitiatorium*, et *Impetratorium*. Sacrificium Latreuticum est illud, quod fit solummodo causa Deum adorandi, et testificandi supremum illius in nos principatum, et nostram erga eum subjectionem, atque servitutem; et hoc vocatur quoque *holocaustum*; eo quia res tota in Dei obsequium destruitur. Sacrificium Eucharisticum est illud, quod Deo offertur in gratiarum actionem pro beneficiis ab eo acceptis. Impetratorium est illud, quod Deo offertur ad beneficia ab ipso obtinenda. Tandem Sacrificium Propitiatorium est illud, quod Deo offertur ad reddendum eum pro peccatis nostris propitium; sicuti etiam ad eum placandum ne propter scelera nos puniat.

Q. *Quid est oblatio*?

R. Oblationis nomen dupliciter accipi potest; *generice* scilicet, et *proprie*. Oblatio generice, accipitur pro quacumque re Deo oblata, et data; proprie vero accepta; quatenus scilicet, est actus specialis Religionis, et ita per oblationem intelliguntur illae omnes spontaneae oblationes, et dona, quae fideles ferre solent ad altare, in Dei honorem, et cultum.

Q. *Quid sunt Primitiae*?

R. Primitiae nihil aliud sunt quam primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, atque arborum, Deo, bonorum omnium datori oblati, in signum nostrae gratitudinis, et subjectionis erga ipsum.

Q. *Nonne offerebantur Deo etiam primi fructus vel partus animalium*?

R. Utique; at isti non appellabantur primitiae, sed *Primogenita*; juxta quod a Deo fuit in Veteri Lege praescriptum (1). *Santifica mihi omne Primogenitum.*

Q. *Quid sunt Decimae?*

R. Decimae sunt decima pars omnium fructuum juste adquisitorum, Deo debita, in recognitionem illius universalis dominii, quotannis Ministris Ecclesiae satisfacienda. Sed de sacrificio, oblatione, primitiis, et decimis haec pauca pro nunc attigisse sufficiat; suo loco diffusius, atque dilucidius exponemus; De Voto autem in sequenti Tractatu. Interim sit

CAPUT VII.

De Vitiis Religioni oppositis.

Q. *Quot sunt vitia Religioni opposita?*

R. Vitia Religioni opposita sunt duo; nempe *Superstitio*, et *Irreligiositas*. Primum per excessum, secundum per defectum.

Q. *Quid est Superstitio?*

R. Superstitio est falsa Religio, seu cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis.

Q. *Quotuplex est Superstitio?*

R. Superstitio generaliter, duplex est, ex parte nempe *objecti*; et ex parte *cultus indebiti*. Superstitio ex parte objecti est illa, quando datur cultus divinus illi, cui non debetur. Superstitio autem, ex parte cultus indebiti est illa, quando datur quidem divinus cultus illi cui debetur, sed datur eo modo, quo non debetur.

Q. *Quot sunt species superstitionis relate ad objectum, quod adorari non deberet?*

(1) Exodi Cap. XIII. v. 2.

R. Sunt tres; scilicet *Idololatria*, *Divinatio*, *et Vana observantia*?

Q. *Quid est Idolatria*?

R. Idololatria est illa, qua creaturae cultus exhibetur, quod Enti increato, sive Deo soli debetur.

Q, *Quotuplex est Idololatria*?

R. Idololatria triplex est; nempe 1. *perfecta*; 2. *imperfecta*, et 3. *simulata*. Idololatria perfecta est quando scienter, et tota advertentia datur Idolo cultus vero Deo debitus, quia falso existimatur, Idolum illud esse Deum. Idololatria imperfecta est quando non datur creaturae cultus, qui soli Deo debetur; quia creditur ei vere inesse divinitatem, sed per purum affectum erga illam, et odium in verum Deum; vel etiam ob anxietatem obtinendi aliquid a Daemone. Idololatria tandem simulata habetur quando quis, quin credat Idolum esse Deum, et sine interno affectu illum venerandi uti Deum, timore Tiranni, vel alterius inimici, exterius tantum dat Idolo cultum, qui soli Deo debetur.

Q. *Quale peccatum est Idololatria*?

R. Est peccatum lesae Majestatis divinae, sua natura gravissimum; quia creaturae misserrimae datur ille cultus, et honor, qui solo Deo debetur, omnium creaturarum creatori, ac Domino (1).

Q. *Quid est Divinatio*?

R. Divinatio est superstitiosa inquisitio rerum occultarum, ope Daemonis, cum pacto vel expresso, vel tacito (2).

---

(1) Adeo grave peccatum est Idololatria, ut eam Tertullianus Lib. de Idol. C. 1. dixerit: *Principale crimen generis humani*; Et S. Gregorius Nazianzenus Orat 38. vocarit. *Extremum, et primum malorum*.

(2) Divinatio erit tacita Idololatria si consulitur Daemon ad illa cognoscenda, quae a solo Deo cognosci possunt; uti sunt cordium secreta, liberi eventus fu-

Q. *Quando habetur pactum expressum, et quando tacitum?*

R. Pactum expressum habetur quando quis, verbis claris et expressis precatur Daemonem, ut faciat ei scire quod scire desiderat; vel aliquid usurpat cum expressa intentione, quod Daemon ei cooperetur. Pactum tacitum vero habetur quando quis utitur mediis, quae neque a Natura, neque Divino, aut Ecclesiastico statuto vim aliquam habent efficiendi, ut quis veniat in cognitionem rerum occultarum. Ita esset, si quis volens alium detegere, vel aliquam rem, quam ignorat, scire, uteretur cribri circumductione; quia talis cognitio, nonnisi a solo Daemone potest expectari.

Q. *Quale peccatum est Divinatio?*

R. Est peccatum mortale gravissimum; quia continet invocationem saltem tacitam Daemonis, et societatem cum illo Dei inimico; atque hinc ribellionem quamdam a Deo, quae est gravis irreverentia erga ipsum.

Q. *Quot sunt species divinationis?*

R. Species divinationis tres principaliter sunt; scilicet 1. *Necromantia*; 2. *Astrologia judiciaria*; et 3. *Sortilegium.*

Q. *Quid est Necromantia?*

R. Necromantia est responsio quae datur a Daemone statim ac est invocatus. Atque varia sortitur nomina. Vocatur quippe proprie Necromantia si talis responsio fit mediante apparitione, vel locutione alicujus mortui. Vocatur *oraculum* si fit mediante aliquo Idolo. Vocatur *Haruspicium* si fit mediantibus signis apparentibus in visceribus animalium Daemoni immolatorum. Vocatur *Divinatio per somnia* si fit

---

turi; quia hoc modo datur Daemoni honor, qui Deo soli debetur, Daemoni tribuendo id quod solius Dei est proprium, et ab illo expectando, qnod a Deo solo potest obtineri.

mediantibus somniis. Vocatur *Chiromantia*, si fit a lineamentis quae videntur in manibus. Vocatur *Augurium*, si fit per observationem garritus avium. Vocatur *Auspicium*, si fit ex observatione volatus avium. Vocatur *Geomantia*, si fit ab aliquo signo in terram facto. Vocatur *Hydromantia*, si fit per aliquod signum in aqua factum. Vocatur *Pyromantia*, si fit per aliquod signum factum in igne. Vocatur tandem *Areomantia*, si fit per aliquod signum in aere factum.

Q. *Est ne licita divinatio per somnia?*

R. Quamvis somnia provenire possint a Deo (1), inconsiderate nihilominus credere illis, non potest a gravi culpa excusari, etiamsi quis crederet esse a Deo, quia exponeret se periculo decipiendi a Daemone, et quantum est ex parte sua, vellet ipsis credere, etiamsi essent a Daemone (2).

Q. *Poterit ne aliquando, saltem probabiliter cognosci effectum aliquod futurum ex motibus et garritu avium, ipsorumque volatu?*

R. Coniici *possunt* aliqui effectus naturales, veluti aeris serenitas, pluviae, tempestates, quia res hujusmodi sunt proportionatae cognitioni ipsorum.

Q. *Quid est Astrologia judiciaria?*

R. Astrologia judiciaria est illa, quae fit quando a situ, et motu astrorum praedicuntur effectus, qui a libero hominis arbitrio pendent; veluti statum vitae quem aliquis assumet; matrimonium quod contrahat, Bellum, Urbis alicujus occupationem etc., victoriam; aut denunciantur effectus occulti, vel praeteriti, vel praesentes (3); Quis, Ex. gr. furatus sit

(1) Gene. Cap. 37. 40. 41. etc. Matth. Cap. I. II.

(2) Hinc scriptum est in Deuteronomio Cap. 18. v. 10. 12.

Non inveniatur in te qui observat somnia; omnia enim haec abominatur Dominus.

(3) Cum namque Dei solius sit scire futura con-

rem talem; Ubi inveniatur Thesaurus etc. (1).

Q. *Sunt ne condemnandi, et incidunt in aliquam poenam, qui ex Astrorum concursu pronuntiant effectus qui cum illis naturalem connexionem habent, veluti Solis, et Lunae Eclipses, ventos, pluvias etc.*?

R. Quoties illi, exclusa quacumque cum Daemone communicatione, ab Astrorum situ, aspectu, et conjunctione aliquem naturalem *effectum* praeveniunt, et pronuntiant, neque sunt condemnandi, neque in aliquam poenam incidere dicendi sunt. Sane illos a condemnatione expresse exclusit, Sixtus V. in laudata Constit., dicens: *praeter quam circa agricularum, navigationem, et rem medicam in posterum exercentes.*

---

tingentia, quae a libero hominis arbitrio pendent; cumque astra nihil habeant, ex quo talia erui possint, expectare cognitionem eventuum futurorum ab Astrorum motu, ac situ, est illam a deceptore Sathana expectare, quod certe maximam injuriam Deo facit, adeoque est gravissimum peccatum. Quare merito Astrologia judiciaria prohibita est omni Lege, Divina nempe, Canonica, et Civili. Sane in Levitico ita a Deo praeceptum Legitur Cap. 19 v. 31. *Non declinetis ad Magos*; *nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Unde Jeremias Cap. 1. v. 2. ajebat. *A signis Caeli, nolite metuere, quae timent gentes, quia Leges Populorum vanae sunt.* Quoad vero Legem Canonicam, clara sunt, quae Sictus V. Constitut: quae incipit: *Coeli et Terrae Creator,* adversus Astrologiam judiciariam ejusque fautores statuit; nec non Urbanus VIII. Const. *Inscrutabilis judiciorum Dei altitudo*, qua non solum excommunicatione majori latae sententiae innodatos declarat Astrologos judiciarios, sed etiam uti reos Lesae Majestatis, ultimo supplicio puniendos esse, atque confiscationis bonorum omnium quae obtinent.

(1) Consul. P. Ferraris T. I. Bibl. V. *Astrologia judiciaria* n. 21. et seq. usque in fin.

Q. *Quid dicendum de Ægyptianis*, *vulgo* Zingari, *sive viris*, *sive mulieribus*, *qui jactitant divinare bonam*, *vel malam fortunam*?

R. Illis fidendum non est, quia mendaces, et impostores sunt. Quare si illi, vel illae serio, et ex animo putant, se nosse futura quae jactitant, et omnes qui eos consulunt credunt eis, omnes mortaliter peccant; tam zingari nempe, quam qui eos consulunt. Si vero id faciunt oblectamenti causa, vel animo ridendi, tunc peccatum est solum veniale (1).

Q. *Quid est Sortilegium?*

R. Sortilegium est divinatio per Sortes.

Q. *Quotuplicis generis esse possunt Sortes?*

R. Sortes triplicis sunt generis; scilicet 1. *Sors divisoria*, 2. *Sors consultoria;* et 3. *Sors divinatoria.* Sors divisoria est illa actio, quae fit eo fine ut considerato illius eventu, innotescat quid cuique dandum sit; Officium Ex. gr. Honor, dignitas. Sors consultoria est illa, quae fit ut innotescat id quod in re obscura, hic et nunc, agendum sit. Sors tandem divinatoria est illa, qua quis utitur ut manifestetur quid erit eventurum.

Q. *Sortes hujusmodi sunt ne licitae?*

R. 1. Sors divisoria est licita tam in divisione bonorum haereditariorum, quam in compositione alicujus litis, quando tamen ambarum partium jura apparent aequalia, et utraque pars in sorte consentit, sicuti etiam quoties non apparet ratio, cur unus alteri praeferri debeat in aliquo commodo, vel incommodo. In electionibus tamen Ecclesiasticis cuiuscumque generis, sortes sunt prohibitae (2).

---

(1) Vid. P. Ferraris V. Zingari.

(2) In Cap. siquidem III. *de Sortileg.* habetur expresse: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.*

R. 2. Sors consultoria est illicita, dummodo tamen non fieret inspiratione divina; quia continet, saltem implicite, Dei tentationem, et periculum alicujus Diabolicae deceptionis; Imo si cognitio expectatur a Daemone, sors est superstitio. Nihilominus potest sors esse licita si sequentes concurrant conditiones: 1. scilicet necessitas, et deficientia humani consilii; 2. Quod effectus a solo Deo expectetur; 3. quod debita reverentia consulatur Deus; et 4. quod non adhibeatur in electionibus ad beneficia Ecclesiastica. Cum his conditionibus sortes a Domino temperantur, et licitae evadunt.

R. 3. Sors divinatoria est illicita; est namque vera superstitio, quia dicta sors neque uti causa, neque uti effectus aliquam habet connexionem cum futuro eventu, et ideo in sortibus ejusmodi semper adest pactum vel expressum, vel tacitum cum Daemone.

Q. *Quid est Vana observantia?*

R. Vana observantia est quaedam superstitio, qua ad aliquem effectum obtinendum, adhibentur media vana, inutilia, et improportionata.

Q. *Quotuplicis generis est vana observantia?*

R. Triplicis est generis; scilicet 1. *Ars notoria* 2. *Observantia sanitatum*; et 3. *Observantia futurorum eventuum.*

Q. *Quid est Ars notoria?*

R. Ars notoria est illa, qua, ut statim et absque studio obtineatur scientia, adhibentur media vana, et improportionata (1).

---

(1) Veluti verba ignota, vel determinata, et non alia, vel aliqua potio etc: quia tunc Daemoni tribuitur quod Deo solo convenit, uti est scientiam infundere; quia ipse Deus *scientiarum dominus est* (I. Reg. 1. 3), et *docet hominem scientiam* (Psal. 93. v. 10).

Q. *Quid est Observantia sanitatum?*

R. Observantia sanitatum est quando ad sanandos morbos sive hominum, sive animalium; vel ad vitam, et sanitatem servandam adhibentur media vana, et per seipsa inutilia (1).

Q. *Quid est futurorum eventuum observantia?*

R. Observantia futurorum eventuum est quando quis, ab eventu aliquo, pure fortuito, praesagiret rem aliquam vel prosperam, vel infaustam; et ab illa moderaretur, atque dirigeret suas actiones; veluti si quis summo mane e domo egrediens, pedem ad aliquid impingit, et ab hoc motivum accipit, malum aliquod timendi; propter quod domum revertitur.

Q. *Quale peccatum est vana observantia?*

R. Vana observantia est peccatum ex genere suo mortale; quia in ipsa, sicuti in aliis Superstitionis speciebus, potest intervenire pactum sive expressum, sive tacitum Diaboli. Excusari nihilominus possent personae illae simplices, et imperitae, quae non ex malitia, sed ex inadvertentia, vel ignorantia vanam observantiam committunt.

---

(1) Veluti quaedam signa, numeri, et characteres ignoti etc.; vel etiam remedia naturalia, quibus tamen nonnulla frivola, tanquam necessaria adjunguntur; uti herbae in Vigilia S. Joannis Baptistae collectae; vel adhibentur quaedam preces, verba Sacrae Scripturae; Sanctorum Reliquias ferre; chartulas verbis S. Evangelii inscriptas cum aliqua vana circumstantia, veluti si illis inserantur quaedam falsa, apocrypha, et incerta, aut verba ignota; vel etiam si virtus, et efficacia precum constituatur in modo eas scribendi, aut proferendi; vel etiam si preces, verba S. Scripturae, ferre Reliquias Sanctorum adhibeantur, certa cum persuasione obtinendi sanitatem, aut alios effectus, puta non moriendi morte repentina, et absque confessione.

Q. *Praeter modo expositas superstitionis species sunt ne aliae?*

R. *Affirmat*. Est namque *Magia*, et *maleficium*. Magia est ratio faciendi mira, pacto, et ope Daemonis (1). Maleficium est ratio aliis nocendi, pacto et ope Daemonis.

Q. *Quotuplicis generis est maleficium?*

R. Duplicis est generis; scilicet *amatorium*, seu *filtrum*, et 2. *Veneficium*. Maleficium amatorium est illud, de quo quis utitur ad captandum amorem carnalem, vel odium alicujus personae; Veneficium vero est illud, quo quis damnum infert alicui personae, vel ejus bonis.

Q. *Quomodo tollitur maleficium?*

R. Maleficium tolli potest tribus modis; ac 1. quidem mediis naturalibus, hoc est medicamentis et remediis, quae ars medica subministrat; 2. Mediis spiritualibus, atque pietatis operibus; hoc est oratione, jejuniis, Sacramentis Ecclesiae, et aliis hujusmodi; 3. tandem, destruendo, vel comburendo signa, quibus adnexum est pactum, precise ut opus Diaboli.

Q. *Licet ne petere a malefico, ut maleficium tollat?*

R. Si petitur a malefico, ut tollat maleficium destruendo illius signa absque ullo alio novo maleficio, et tunc licet. At si ut tollatur maleficium, ille debet et alium maleficium facere, tunc non licet, cum sit intrinsece malum invocare Daemonem, aut alium ad invocandum illum inducere (2).

---

(1) Praeter Magiam superstitiosam, adest et alia Magia, quae dicitur Magia naturalis; ars nempe faciendi actiones, quae in admirationem rapiunt adstantes: atque haec peccatum non est; cum in ea, neque directe, neque indirecte Daemonis cooperatio intervenIat.

(2) In Levitico namque Cap. 19. v. 31. Legitur:

Q. *Si maleficus dedit Daemoni scripturam proprio sanguine obsignatam in signum suae servitutis, illi promissae, quid faciendum ut Daemon illam restituat?*

R. necesse non est ad Daemonem recurrat, ut sibi faciat talem scripturam restituere, quia ad illius destructionem sufficit vera et sincera poenitentia. Etenim nullum datur peccatum adeo grave, de quo impius, gratia Dei adjutus, agere non possit poenitentiam et converti ad Dominum.

Q. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum malefico?*

R. Non debet illum absolvere nisi solverit, et abjuraverit omne pactum et commercium cum Daemone; nisi 2. destruxerit, vel combusserit omnia signa artis magicae, veluti probatio disruptae societatis, et futurae inimicitiae cum Daemone; nisi 3. refecerit damna causata.

Q. *Quid est Cultus indebitus?*

R. Cultus indebitus dicitur ille, quo verus Deus honoratur, sed modo deordinato.

Q. *Quotuplex est Cultus indebitus?*

R. Cultus indebitus duplicis est generis; *falsus* nempe, et *superfluus*. Cultus falsus est quando praedicantur falsa miracula, exponuntur falsae Reliquiae, vel adhibentur Veteris Legis caeremoniae, quae jam a Deo sunt reprobatae. Cultus vero superfluus, est quando quis per indiscretam devotionem, relictis caeremoniis ab Ecclesia praescriptis, alias pro lubitu sibi

---

Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ne polluamini per eos; Ego Dominus Deus vester. Hinc Angelicus Doctor in dist: 37. art. 3. ad 3. *Nullo modo, inquit, debet aliquis Daemonis auxilium per maleficia invocare;* Et facultas Parisiensis. *Errorem esse, ut, quod licitum sit, et etiam permittendum, maleficiis repellere.*

effingit; veluti orare, vel auscultare Missam, tali numero candelarum accensarum, nec sint plures, neque pauciores; quod dictae candelae sint talis coloris, et non alterius, et quod tali loco, et modo sitae sint.

Q. *Quale peccatum est dicta superstitio?*

R. Si loquimur de cultu falso, haec superstitionis species est peccatum ex genere suo mortale, quia affert magnam irreverentiam Deo, et graviter repugnat illius honori, et cultui, qui solae innititur veritati, uti ait S. Joannes Evangelista (1). Si vero loquimur de cultu superfluo, et haec superstitio, secundum communem Doctorum sententiam, est solum veniale peccatum; dummodo tamen actio non sit ab aliqua Lege prohibita, vel a Superiore; nec interveniat scandalum, vel contemptum Caeremoniarum Ecclesiae, et usum communem fidelium, quia materia est levis, et irreverentia ob simplicitatem non judicatur gravis.

Q. *Si quis ferens super se imaginem, vel Reliquiam alicujus Sancti; vel aliquam chartam, in qua verba Sacrae Scripturae scripta sunt, certo crederet, se a tali periculo, vel a tali morbo liberum esse, peccaret ne dicta superstitione?*

R. *Affirm.* quia etsi talia pia sint, et devota, non ideo potest ab ipsis absolute, et infallibiliter aliquod effectum expectari; quia nec habent in seipsis vim aliquam naturalem ad producendum illum, nec etiam habent absolutam promissionem divinam.

(1) *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.* Cap. IV. v. 23.

CAPUT VIII.

De Irreligiositate.

Q. *Quid est Irreligiositas?*

R. Irreligiositas est peccatum quo dehonoratur Deus in se, aut in personis, et rebus sacris.

Q. *Quotuplex est Irreligiositas?*

R. Irreligiositatis quinque sunt species; scilicet 1. *Blasphemia* (de qua praecipue erit sermo in sequenti Tractatu); 2. *Tentatio Dei*; 3. *Sacrilegium*; 4. *Perjurium* (de quibus alibi); et 5. *Simonia*.

Q. *Quid est tentatio Dei?*

R. Dei tentatio est verbum aliquod, actio, aut etiam omissio ad capiendum experientiam de aliquo Dei attributo, vel perfectione, puta de Bonitate, de Sapientia, Omnipotentia, vel voluntate, mediante aliquo effectu extraordinario a Deo temerarie expectato.

Q. *Quotupliciter potest Deus tentari?*

R. Dupliciter; *expresse* scilicet, et *tacite*. Expresse, quando directa intentione faciendi experientiam de aliqua Dei perfectione, aliquid fit, vel omittitur (1); tacita autem, vel implicita fit, quando licet non intelligatur tale experimentum, fit nihilominus, vel omittitur illud, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem, vel ejus voluntatem (2).

---

(1) Ita esset si quaeratur miraculum, ut nota fiat Dei potentia, vel ejus voluntas in aliqua re, omissis aliis mediis; veluti si quis ut exploraret Dei providentiam in sua persona, ex alta turri se praecipitaret.

(2) Uti esset, si quis ad aliquid consequendum, omitteret media ordinaria, a Deo ad id obtinendum constituta, sperans id a solo Deo; Ex. gr.: sanitatem, quin adhibeat remedia naturalia; conservationem vitae absque cibo et potu; vel etiam si quis velit Magistri munus

Q. *Quale peccatum est tentatio Dei?*

R. Tentatio Dei est peccatum natura sua mortale, tam si fiat explicite, quam si fiat implicite, quia grandis irreverentia erga Deum est, quod ipse, ut vili creaturae curiositati satisfaceret, miraculum aliquod operaretur, et probationem daret de aliquo suo attributo, et de sua Divina voluntate. Hinc Divinus Redemptor noster illam aperte damnavit, cum Diabolo tentatori dixit (Matth. Cap. IV): *Vade retro Sathatra, non tentabis Dominum Deum.*

Q. *Datur ne casus, in quo tentatio Dei est solum veniale?*

R. *Affirm.* Et est quando quis simpliciter tentat Deum, quin cogitet, atque intendat, actionem suam pertinere ad tentationem Dei (1),

---

exercere, aut predicare quin prius necessaria ad id studia excoluerit. Atque huc quoque spectant illae probationes justitiae, quae olim ferro ignito, et aqua ebulliente fiebant, quaeque hodie jure, meritoque proscriptae sunt.

(1) Aliquoties licere etiam dicendum est quaerere miraculum a Deo propter bonum finem, et ex divina inspiratione; vel etiam quando adest justa causa, necessitas, vel utilitas; et est quando media ordinaria insufficientia redduntur ad obtinendum, quod desideratur; dummodo tamen cum humilitate petatur, et totum divinae voluntati committatur. Ita legimus fecisse Abraham, (Gen. Cap. XV.), qui cum accepisset a Deo promissionem de possidendo Terram Chanaan, respondit illico: *Domine Deus unde scire possum, quod possessurus sim eam?* Ita quoque fecerunt non pauci ex Martyribus, aliisque Sanctis Confessoribus, qui ut fidem Catholicam astruerent, in ignem se injecerunt, venenum potarunt, confidentes, Deum auxilio suo non defuturum. Inter quos merito numeratur S. Jacobus Picenus, qui oblatum ab Hussitis venenum, invocato no-

Q. *Quid est Sacrilegium?*

R. Sacrilegium est violatio, seu indigna rei sacrae tractatio, rei scilicet Deo dedicatae, atque Divino cultui specialiter addictae.

Q. *Quotuplicis generie est Sacrilegium?*

R. Sacrilegium triplicis est generis; 1. scilicet *personale*; 2. *locale*; et 3. *Reale*. Sacrilegium personale est illud, quo indigne tractatur persona sacra, veluti Clericus, Religiosus.

Q. *Quot modis potest persona sacra indigne tractari?*

R. Pluribus modis; videlicet eam violente verberando; vel contra ipsam quamlibet violentam, et contumeliosam actionem exequendo; aut ab ipsa sine publica, et legitima auctoritate, publica tributa, atque onera exigere; castitatem violando, vel ad illam violandam cooperando.

Q. *Quale est sacrilegium locale?*

R. Sacrilegium locale est loci sacri violatio; videlicet alicujus Ecclesiae, vel Cemiterii (1).

Q. *Quodnam est Sacrilegium reale?*

---

mine Jesu, et signo crucis se muniens, intrepide illud bibit, absque ullo damno, ex quo multi ex illis Haereticis cognoverunt veritatem Doctrinae Catholicae, quae praedicabatur, illamque sunt amplexati.

(1) Quare hujus sacrilegii rei sunt qui januas Ecclesiae frangunt, vel ignem ei admovent, vel ipsam depopulantur, vel altaria destrunt. Rei quoque sunt talis facinoris qui aliquem in Ecclesia interficiunt, vel sanguinem, aut semen humanum ibi effundunt; Insuper qui aliquem excommunicatum non toleratum, vel non baptizatum in loco sacro sepeliunt; qui in Ecclesia furantur aliquid, licet non sacrum; tandem qui in Ecclesia aliquid aliud efficiunt, quod possit cultum divinum impedire aut deturbare, atque hinc divinae Majestatis oculos offendere.

R. Sacrilegium reale est indigna tractatio rei Deo consecratae.

Q. *Quotuplicis generis esse possunt res Deo sacratae?*

R. Multiplicis generis; idest 1. Sacrae quia sanctitatem producunt, uti sunt Sacramenta, vel significant res sacras, uti verba S. Scripturae; 2. quia representant res sacras, veluti Imagines Jesu Christi, et Sanctorum; similiter ceremoniae sacrae, vel quae sunt particulae Reliquiarum Sanctorum; aut quae divino cultui consecrantur, et sunt destinatae ad substentationem Ministrorum illius, et aliis piis usibus; veluti vasa sacra, ornamenta, vestes, et bona temporalia Ecclesiae (1).

Q. *Quot modis res sacra potest violari?*

R. Duobus modis; scilicet *positive*, et *negative*. Positive, uti indigne administrando, vel recipiendo Sacramenta, Sacras Reliquias prophanando, vel sacras Imagines, et vasa sacra; ut esset si quis pixide, vel calice ad bibendum uteretur; vestes, aliaque sacra ornamenta ad prophanos usus adhiberet; verbis sacrae Scripturae ad confirmandos errores uteretur, aut in usus prophanos ea adhiberet; aut illa in res prophanas, ridiculas, fabulosas, et vanas converteret, vel etiam bona Ecclesiae usurparet, et ipsius jura. Negative autem res sacras ab illis violatur, qui sunt negligentes in custodiendo debita attentione, et diligentia Sacrum Chrisma, et Eucharistiam. Sicuti etiam illi, quorum negligentia evenit, ut particulae consecratae corrumpantur in pixide, nec curant, ut bene munda serventur corporalia, pallae, vasa sacra etc.

Q. *Quale peccatum est Sacrilegium?*

---

(1) Ex Concil. Later. II. Can. 10. etc.

R. Sacrilegium est peccatum sua natura grave; et tanto gravius quanto dignior est illa res, quae indigne tractatur. Potest nihilominus esse veniale, vel defectu plenae advertentiae, vel ob parvitatem materiae, quae non tam repugnat cum loci sanctitate.

CAPUT IX.

De Simonia.

Q. *Quid est Simonia?*

R. Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi, aut commutandi rem spiritualem, vel rei spirituali adnexam, pretio temporali (1).

Q. *Quot pretiorum genera in Simonia Canonistae distingunt?*

R. Tria genera; scilicet 1. *Munus a manu*, 2. *Munus a lingua*; 3. *Munus ab obsequio*. Munus

---

(1) Simonia dicta fuit a Simone Mago, qui existimans posse Dona Dei pecunia possidere, *Cum vidisset quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum* (Act. Apost. Cap. 8. v. 18 19). Dicitur autem 1. *studiosa voluntas*, hoc est velle deliberatum, et liberum. Dicitur 2. *vendendi, emendi, aut permutandi*; hoc est non dandi, aut recipiendi gratuito, sed mediante contractu emptionis, venditionis, aut permutationis, uno verbo, contractu oneroso. Dicitur 3. *Spirituale*; uti sunt Sacramenta, Beneficia Ecclesiastica. Quia res spirituales, et sacrae sunt Simoniae materia. Dicitur 4. *vel spirituali adnexum*; hoc est, quod licet natura sit temporale, ita tamen spirituali adnectitur; ut istud vendi nequeat quin illud etiam vendadatur. Dicitur tandem *pretio temporali*, pecunia scilicet vel alia re quacumque pretio extimabili.

a manu est pecunia, vel alia quaecumque res pecunia extimabilis, veluti alicujus debiti remissio; equus, vestimentum, vinum etc. Munus a lingua est favor, protectio, adulatio, laus, intercessio, vel apud alium commendatio; quia res hujusmodi sunt pretio extimabiles, et commodum temporale afferunt. Munus ab obsequio est quodcumque obsequium, servitium, aut ministerium, quod vel praestitum est, vel praestari debet; veluti si quis conferat beneficium alteri, eo quia suis negotiis assistentiam prestiterit.

Q. *Quotuplicis generis sunt res spirituales?*

R. Quadruplicis sunt generis; scilicet aliae spirituales essentialiter; aliae causaliter spirituales; aliae spirituales effective; et aliae tandem spirituales per adnexionem. Primi generis sunt virtutes supernaturales Fidei, Spei, charitatis etc. Secundi generis sunt Sacramenta, ad quae reducuntur quoque sacramentalia; Tertii generis sunt absolutio a peccatis, et censuris etc. dispensatio in Votis etc. Quarti generis tandem tales sunt per adnexionem.

Q. *Quotuplici pacto temporale potest esse spirituali adnexum?*

R. Triplici pacto; nempe 1. *antecedenter*; 2. *concomitanter*; et 3. *consequenter*. Res temporales antecedenter spiritualibus adnexae sunt Jus Patronatus ad Ecclesiasticum Beneficium; vasa, et vestes sacrae ad Sacrificium, et Sacramenta requisitae. Concomitanter adnexae sunt labor intrinsecus in sacrificando vel sacramenta administrando. Consequenter vero adnexae sunt redditus Beneficiorum, qui propter spirituale officium dantur.

Q. *Quotuplex est Simonia?*

R. Simonia alia dicitur *juris Divini*, alia *juris humani* Ecclesiastici. Prima est illa, quae jure divino prohibita est; et ideo prohibita, quia mala est; talis esset emptio, vel venditio rerum vere spiritualium; puta Hostiae consecratae, Sacramentorum, Reliquia-

rum. Secunda vero est illa, quae a jure Ecclesiastico humano est prohibita, unde est mala quia prohibita, et prohibita solo jure humano, non ex natura rei, seu jure divino; talis est permutatio, et resignatio beneficiorum; emptio, et venditio officiorum temporalium Ecclesiae; uti Sacristae, Procuratoris (1).

Q. *Utraque dicta Simonia, juris scilicet divini, et humani quotuplex est?*

R. Triplex est; scilicet 1. *Mentalis*; 2. *Conventionalis*; et 3. *Realis*. Simonia mentalis est illa quae licet cum externa actione dationis, et acceptionis conjungatur, simoniae nihilominus malitia nullo externo signo manifestatur, propter quod mentalis dicitur (2). Simonia vero conventionalis est illa, in qua pactum intercedit sive expressum, sive tacitum dandi rem temporalem pro re spirituali. Et haec duplex est; scilicet *pure conventionalis*, si non habetur aliqua traditio; et *mixte conventionalis*, si habetur traditio tantum ex parte unius (3). Realis tandem est, quando ex utraque parte pactum est executioni mandatum; hoc est illa, quae ipsa rei traditione perficitur, et consumatur; et haec si perficitur ex una tantum parte contrhaentium, dicitur *mixta*; si vero ex parte utriusque perfecte executioni mandatur, dicitur simpliciter, atque absolute *realis* (4).

---

(1) Uti apparet ex Cap. *Salvator* 8. unus quaest. 3.

(2) Quare Simoniae mentalis reus esset qui alicui Episcopo inserviret hac intentione, ut Episcopus pro tali sua servitute, in mercedem debitam, beneficium aliquod ipsi conferret; sicuti de facto contulit.

(3) Simonia ergo conventionalis est peccatum gravius Simonia mentali; Nam in ista nullum intervenit pactum exterius manifestatum; in illa vero pactum, et conventio externa inter utrumque contrahentem intervenit.

(4) » Unde ad perfectam, et omnino realem Si-

Q: *Datur ne alia Simoniae species?*

R. *Affirm.* Et est illa quae dicitur *confidentialis*, seu *confidentia Beneficiorum;* et committitur, ait Ferraris cum communi Doctorum, cum quis alicui. » dat, vel eonfert, aut resignat Beneficium Ecclesia» sticum, vel ad illud praesentat, eligit, seu electum » vel praesentatum instituit, et confirmat cum certa » confidentia, et obligatione, idest cum expresso, » vel tacito pacto vel conditione, ut tamquam ex de» bito illud sibimet vel alteri, ut Fratri, Nepoti, » amico certo tempore iterum cedat, seu resignet, » aut ex eo pensionem, vel certam partem fructuum » tribuat ».

Q. *Quotuplici modo committi potest Simonia confidentialis?*

R. Triplici modo; nempe 1. *per accessum*; 2. per *Regressum*; et 3. *per Ingressum.* Committitur Simonia per *accessum*, quando Episcopus confert beneficium alicui inhabili; interim confert idipsum alteri habili cum confidentia, seu pacto, ut quando inhabilis ad habilitatem perveniat, habilis dimittet illud. Committitur vero Simonia per *regressum*, quando aliquis beneficium quod obtinet, cedit alteri, servato jure redeundi ad illud, si forte pensionem ille non solveret, vel *Religionem* ingrediatur. Committitur tandem Simonia per *Ingressum*, quando aliquis ante ac-

---

» moniam, requiritur, uti bene observat Mastrius disp. » XIV. de Praec. part. art. 2. n. 82. voluntas interior » contractandi sub pretio temporali rem spiritualem; » praeterea pactum explicitum, vel saltem implicitum, » quod tale censendum est cum datur pretium tempo» rale, quamvis nulla conventio praecedat, et tandem » exhibitio externa pretii, et externa traditio rei spiri» tualis; unde altero eorum deficiente, Simonia non » erit realis, sed conventionalis ».

ceptam pensionem beneficii jam sibi collati, alteri illud resignat, servato sibi jure ingrediendi possessionem illius, si ille moriatur, vel in Religionem intret.

Q. *Quo jure Simonia est prohibita?*

R. Est prohibita omni jure; naturali nempe; Divino, et Ecclesiastico (1).

Q. *Quale peccatum est Simonia?*

R. Simonia est peccatum ex toto genere suo gravissimum; omni jure, ut mox dicebamus, damnatum (2).

---

(1) Et quidem prohibita est jure naturali. Nam jus naturae prohibet vendere, quae invendibilia sunt. Atqui res spirituales, et spiritualibus adnexae vendibiles non sunt, quia ordinis plane superioris, et superiores omni temporali pretio; Ergo etc. Deinde nemo est dominus rerum spiritualium, et ita quidem ut nec ipsi Ecclesiastici Praelati, quibus res spirituales concreditae sunt, illarum domini sunt, sed dispensatores, ut eos vocat Apostolus. I. Cor. IV. v. 1. Ergo vendere eas non possunt; et pro ipsis pretium accipere; adeoque etc. Quod autem Simonia sit etiam jure divino prohibita, patet ex illo Christi domini praecepto Apostolis dato, cum eos misit ad praedicandum, et signis atque prodigiis suam caelestem doctrinam comprobandam, ut legitur apud S. Matth. C. X v. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* Prohibita tandem est jure humano sive Ecclesiastico, sive Civili. Jure Ecclesiastico, uti patet ex titulis de Simonia, qui in jure Canonico leguntur; Jure Civili, uti patet ex pluribus Regum Edictis, et praesertim ex Pragmatica Sanctione S. Ludovici, et Caroli VII.

(2) Id namque satis ostendunt verba Principis Apostolorum in Simonem Magum prolata, dum ille pecuniam obtulit, ut sibi daretur facultas conferendi Spiritum Sanctum, per *manuum impositionem*; Act. VIII. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri . . . in felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse etc.* Idipsum Sacris Canonibus comprobatur. Nam Gelasius Papa

Q. *Datur ne parvitas materiae in Simonia?*

R. Non datur. Nam si daretur parvitas materiae, haec, ut bene observant Continuat. Tournely T. 1. Cap. 3. de gravit. Simon. pag. 805. repeteretur vel » ex parte rei spiritualis, vel ex parte pretii pro ea » dati. Non ex primo Capite, quia res spiritualis, » quaecumque ea sit, tam alti est ordinis, ut indigna » ejus contrectatio, magna censeri debeat; non ex al» tero capite, quia e contra quo vilius offertur pro » re spirituali pretium, eo magis contemni censetur; » adeoque gravior est, quae in eam committitur ir» reverentia ». Negari tamen non posse videtur, ratione inadvertentiae, vel ignorantiae, in Simonia aliquando parvitatem materiae locum habere (1).

Q. *Cui virtuti opponitur Simonia?*

R. Cum Simonia sit indigna rei sacrae tractatio, propterea Virtuti Religionis proculdubio opponitur. Aliquando opponitur etiam virtuti justitiae ex parte vendentis, si in compensatione rei, quatenus spiritualis est, temporale aliquid accipiat, quia dans alicui rem spiritualem, nullum jus habet accipiendi aliquid temporale; hinc accipiendo, committit injustitiam.

Q. *Quibus poenarum generibus Ecclesia in Simoniacos animadvertit?*

R. Tribus generibus; quarum 1. est privatio rerum per Simoniam adquisitarum. 2. Restitutio pre-

---

relatus 1. q. 1. Cap. 6. *Dantem, ait, et accipientem damnatio Simonis involvit.* Et Paschalis Pontifex relatus 1. q. 2. cap. ult. *Patet*, inquit, Simoniacos veluti primos, et praecipuos *haereticos ab omnibus fidelibus respuendos, omnia enim crimina ad comparationem Simoniacae haeresis, quasi pro nihilo reputantur.* Nec dissimiliter alii Canones loquuntur; quippe Simoniam appellant *execrabile flagitium, flagitium piaculare.*

(1) Vid. Manstrius disp. XIV. de Praecep. partic. q. 3. art. 2. num. 84.

tii, quod acceptum est; et 3. excommunicatio latae sententiae si sit Laicus; Supensio vero ab exercitio Ordinum si sit Clericus.

Q. *Omnes ne Simoniaci incurrunt predictas poenas?*

R. *Negative.* Sed tantum illi, qui simoniam realem completam committunt vel in Sacramento Ordinis, vel in Beneficiis, vel in ingressu Monasterii, et professione Religiosa (1).

Q. *Quid dicendum de Simonia semireali?*

R. Haec Simonia considerari potest vel ut completa ex parte rei temporalis, vel completa ex parte rei spiritualis; si ex parte tantum rei temporalis est completa, et tunc poenis Canonicis non est subjecta, quia nulla adhuc adest rei spiritualis indigna tractatio. Si vero ex parte rei rpiritualis tantum completa

---

(1) Quare qui Simonia mentali, vel pure conventionali rei sunt, poenis Canonicis non subjacent. Et sane cum Simonia mentalis in mente perficiatur, nequit per Ecclesiae judicium aliqua sub poena damnari; Quippe Ecclesia non judicat de internis. Hinc, *delinquentibus*, ut inquit Gregorius IX, *sufficit per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori.* Nec refert quod Simoniaci mentales, vere simoniaci sint; Nam ipsi tales sunt apud Deum, qui novit abscondita cordis; at exterius non cognoscuntur, ut de illis ab Ecclesia judicium ferri possit; *Dicendum* propterea cum D. Thoma 2. 2. q. 100, ad 6, *quod quoad Deum sola voluntas facit Simoniacum: sed quoad poenam pure Ecclesiasticam et exteriorem, non punitur ut simoniacus.* (Vid. Contin. Tourn. Tomo I. Append. de Beneficiis et Simonia Cap. V. de Simon. poenis. art. 2. pag. 845. Sed et nec etiam simoniaci conventionales in aliquam incidunt poenam. Canones enim cum poenas simoniacis inferunt, non simplicem conventionem exposcunt, sed dationem, acceptationem, ordinationem, aliamque realem executionem. Ita ex Extravag. I. *Sane*, et II. *Cum detestabile de Simonia.*

et tunc controversia est inter Doctores. Volunt enim aliqui poenis Canonicis subjici, eo quia traditione rei sacrae jam perfecta est indigna illius tractatio. Ast probabilius volunt alii, poenis Canonicis non subjici, quia simonia in tali casu non est ex utraque parte completa, quod sane requiritur ut poenae Canonicae incurrantur.

Q. *In quam poenam incidunt Simoniaci reales pro ingressu Religionis?*

R. Primo tam recipientes, quam recepti si sunt singulares personae, incidunt in excommunicationem Papae reservatam; si vero est Capitulum, aut Conventus, suspenditur ab officio capitulari ad jurisdictionem, vel ad administrationem Ecclesiasticam pertinente (1). Secundo Superior, et Majores personae Monasterii suspenduntur, et sicut simoniace professi detrudontur in Monasteria strictioris observantiae, ut de patrato sacrilego facinore perpetuam agant poenitentiam (2). Tertio incidunt in infamiam juris.

Q. *Licet ne aliquid exigere ab ingredientibus in Monasterium titulo substentationis?*

R. *Affirm*: dummodo tamen concurrunt hae conditiones; nempe 1. quod Monasterium non habeat, unde possit de sustentatione providere ingredientem;

(1) Ita Extravaganti I. de Simonia, quae incipit *Sane*; Ubi Urbanus IV. jubet ut omni pactione cessante fiat ingressus in Religionem: *Qui secus fecerint, si sint singulares personae, tam dantes quam accipientes hujusmodi, excommunicationis; si Capitulum vel Conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere, a quibus praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant, absque sedis Apostolicae licentia speciali.*

(2) Ex Cap. 25. *De Regularibus de Simonia.* Paenae autem hujusmodi, ajunt Suarez, Layman, et alii non incurruntur, nisi professio subsequatur, antequam smoniaca pactio retractetur, vel pretium restituatur.

2. quod adsit legitima intentio; 3. quod non plus exigatur, quam ad Religiosi competentem sustentationem necessarium sit (1).

Q. *In quam poenam incidunt Simoniaci reales in Ordinibus?*

R. Incidunt in excommunicationem Papae reservatam, et Episcopus qui Ordinem confert, et Clericus qui ordinem suscipit (2). Praeterea Episcopus incidit in suspensionem ab executione omnium suorum Pontificalium, et in interdictum ab ingressu Ecclesiae; idque etiamsi simonia fuerit occulta (3); Ordinatus vero

---

(1) Id namque satis aperte docet pluribus in locis Angelicus Doctor. Legatur quod scribit in 4. dist. 25. quaest. 3. art. 2. ad 7. *Cum possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest, exigi ab eo, qui in illo loco vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium, unde possit ei providere, et ideo non committitur Simonia.* Nec dissimiliter loquitur Seraphicus Doctor, qui in Libel. Apolog. in eos qui Ord. Fratrum Min. adversantur q. 18. inquit: *Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent unde eam pascerent, non videtur esse Simonia, dummodo forma cum intentione concordet.* Vid. Ferraris V. Simonia Art. II. n. 22.

(2) Ita habetur in Extravag: Pauli II. quae est 2. de *Simonia*, quaeque complectitur etiam mediatores etc. En verba: *Qui quomodo libet dando vel recipiendo Simoniam in ordinibus commiserint, aut quod illa fiat mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrunt: a qua nisi a Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolvi, praeterquam in articulo mortis.*

(3) Ex Bulla Sixti V. quae incipit *Sanctum, et salutare.* Sit ne vero hujusmodi simonia, licet occulta, Papae reservata, non satis constat; in aliquibus enim locis, praesertim in Galliis supradicta Bulla non est rece-

incidit in suspensionem Ordinis, etiam rite suscepti (1).

Q. *In quam poenam incidunt Simoniaci reales in beneficiis?*

R. Tam qui eligit, vel praesentat, aut confirmat, aut constituit, quam qui recipit Beneficium incidit in excommunicationemPapae reservatum. In quam incidunt etiam mediatores, et Procuratores tam ad Ordinem, quam ad beneficium, secuta tamen ordinatione, vel collatione (2). Insuper collatio beneficii est nulla, sicuti nulla est praesentatio etc. Hinc fructus percepti sunt restituendi; et provisus inhabilis fit ad illud idem beneficium recipiendum, etiam Episcopi dispensatione (3).

Q. *Datur ne casus, in quo quis potest ab Episcopo dispensari ad idem beneficium Simoniace acceptum?*

R. Datur casus, modo tres sequentes concurrant conditiones, 1. scilicet, ut bona fide suceperit beneficium per simoniam ab altero commissam; 2. ut beneficium sit simplex; et 3. ut veniendo in malam fidem, illud resignaverit in manu Episcopi (4).

Q. *Qui aliquod beneficium simoniace obtinuit, privatur ne aliis Beneficiis rite obtentis?*

R. Si propria ipsius culpa commissa fuit simonia, cognita causa, per sententiam judicis, utique aliis beneficiis, licet rite obtentis, privandus est, et deponendus (5).

---

pta, ut notat Habert. Vid. Cont. Tournely T. 1. App. *de Simonia* Cap. V. P. Mastr. Disp. XIV. de Praec. part. q. 3 art. 3 n. 99.

(1) Ita Abbas in Cap. *de Simonia* n. 5.

(2) Ita legitur in Extravag. 2. *de Simonia*.

(3) Sicuti ex Cap. 27. *Nobis* fuit *de Simonia*.

(4) Ex Cap. 19. *Si alicujus de electione*.

(5) Ita sentiunt communiter doctores, et colligunt ex Cap. *Presbyter parte 2. causa* 7. quaest. 1.

Q. *Qui ob simoniam commissam privatur beneficiis antea, licet rite susceptis, fit ne inabilis ad alia beneficia in posterum obtinenda?*

R. *Negative.* Nam esto per Bullam Pii V. (3) reus Simoniae inhabilis evadat ad alia beneficia in posterum obtinenda; nihilominus dicendum est, posse alia beneficia obtinere; quia praedicta Bulla, quoad hanc partem non fuit acceptata.

Q. *In quam poenam incidunt Simoniaci confidentiales?*

R. In plures poenas incidunt; ac primo incidunt in excommunicationem Papae reservatam, ipso facto incurrendam; et privantur non solum beneficio, confidentiali simonia, obtento, sed et omnibus aliis Beneficiis, et pensionibus antea rite obtentis (4); 2. inabiles redduntur ad idem beneficium obtinendum; et ubi est acceptata Bulla Pii V. mox laudata, fiunt etiam inhabiles ad alia beneficia obtinenda; 3. Beneficium per simoniam confidentialem acquisitum reservatur Summo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat; quod fructus ex tali Beneficio male percepti applicari debeant Camerae Apostolicae; Quinta tandem quod praedictae poenae, etiam per Simoniam conventionalem mixtam contrahant (5).

Q. *Requiritur ne Simonia ex utraque parte completa, ut praedictae poenae incurrantur?*

R. *Negative*; sufficit enim ut Beneficium sit datum et acceptum tali pacto, quamvis qui benefi-

---

(3) Quae incipit. *Cum primum.*

(4) Id omne patet ex Constitutione Pii IV. *Romanum Pontificem*, et ex citata Bulla Pii V. quae incip. *Intolerabilis* etc.

(5) Verba supradictae Bullae Pii V. sunt haec; scilicet poenas contra Simoniam confidentialem statutas, incurri licet *ipsa Simonia confidentialis alterius tantum partis confidentia sit completa.*

cium suscepit intentionem non habeat pactum adimplendi (1).

Q. *Est ne restituendum temporale pro traditione rei spiritualis acceptum?*

R. *Affirm.* et hoc tam jure naturae, quam divino, quia deest justus titulus retinendi.

Q. *Dantur ne casus, in quibus jure Ecclesiastico, est restituendum temporale simoniace acceptum?*

R. Dantur. Nam (2); quod acceptum est vel pro collatione beneficii, vel pro collatione ordinis, vel pro ingressu Religionis, restituendum est.

Q. *Cuinam restituendum est tale pretium?*

R. Si res spiritualis nondum est tradita, et tunc restituendum est illi, qui tradidit; quia adhuc retinet jus ad istud; cum dederit sub conditione recipiendi spirituale, si vero res spiritualis est tradita, et tunc restituendum est Ecclesiae, vel secundum consuetudinem, pauperibus (3).

Q. *Est ne restituenda res spiritualis simoniace accepta?*

R. Si est beneficium, debet restitui, etiam ante judicis *sententiam*, quia ejus collatio fuit nulla. Si vero sunt vasa sacra, vestes sacrae etc, et haec carius venduntur, quia sunt consecratae, et tunc excessus tantum pretii restituendus est, quia contractus fuit validus, quia utile per inutile vitiari non debet; si tandem sunt SS. Reliquiae, et tunc, si venduntur ratione spiritualitatis, contractus est nullus, adeo-

---

(1) Id patet ex verbis Bullae Pii V. *Etiamsi sola intentione dimittentis receperit.*

(2) Sicuti constat ex Cap. 19, *Veniens de Simonia.*

(3) Ita sentiunt Angelicus doctor 2. 2. q. 32. art. 2 ad. 3. Cajetanus, et alii bene multi; esto non desint, qui probabiliter teneant, ante judicis sententiam, restituendum est ei, qui dedit.

que restituto pretio, Reliquiae quoque restituantur oportet; licet non desint qui oppositum sentiant.

Q. *Potest ne vendi temporale, cui adnexum est sprituale?*

R. Si vendi velit quatenus est spirituale; et tunc vendi non potest (1); si vendi velit uti est temporalie, et potest (2).

Q. *Est ne simonia vendere beneficium Ecclesiasticum?*

R. Est quidem simonia; at cujus generis, non conveniunt inter se Theologi. Nam alii volunt esse de jure Eeclesiastico, quia est jus percipiendi aliquod temporale. Alii e contra sustinent esse de jure divino, quia habet fundamentum in officio spirituali.

Q. *Potest ne Episcopus, absque lesione justitia, exigere aliquid temporale in beneficj collatione pro emolumento temporali beneficiario colluto?*

R. Non potest, quia fructus beneficii non pertinent ad collatorem, sed ad futurum beneficii possessorem; cui proinde necessario ex justitia competit jus ad fructus percipiendos, quale jus cum sit in titulo spirituali fundatum, non est pretio temporali extimabile (3).

---

(1) Res namque spiritualis ordinis vendi nequit; quare si quis vendere vellet calicem consecratum pluris quam valet materia illius argentea, non posset, quia tunc simoniam eommitteret.

(2) Quare potest quis vendere calicem argenteum, quatenus argenteus est; vendere laborem extrinsecum in celebrando Missam, vel administratione Sacramentorum etc. excepto dumtaxat casu, quo adesset aliqua Ecclesiae prohibitio; tunc enim non posset.

(3) Episcopus ergo nullum habens titulum percipiendi aliquid a beneficiario, ob collatum beneficium, injuste pretium a collatore Beneficii exigeret. Hinc jure meritoque ab Alexandro VII. damnata fuit propositio 22:

Q. *Committit ne Simoniam qui dat temporale ad tollendam vexationem quoad beneficia?*

R. Si vexatio est justa, simoniam committit, quia dat temporale pro spirituali. Si vero vexatio est injusta, et videndum; si habet jus in re, seu jus acquisitum in illo beneficio, et tunc non committit simoniam, quia sic redimit vexationem suam non dans temporale pro aliqua re spirituali, sed pro vitanda injuria, aut violentia, quam injuste patitur; si vero habet jus ad rem, hoc est ad illud quam primum adquirendum, et subdist: vel dat illi qui potest obesse et prodesse, et tunc committit simoniam, quia dat illi qui potest prodesse ad beneficium obtinendum, hinc temporale datum pro beneficio habet rationem pretii; Vel dat illi, qui potest tantum obesse, et tunc simoniam non committit, quia non dat ad beneficium obtinendum, sed ad impediendas iniquas, atque in famatorias adversarii machinationes, et finem accipiant vexationes injustae.

Q. *Potest ne dari aliquid temporale electori, qui ut persona privata vexat praesentatum aut illum infamando, aut electores corrumpendo?*

R: Potest, quia ille non concurrit uti elector, praesentator etc., sed uti persona privata, et quidem talis, quae potest tantum obesse.

Q. *Potest ne quis dare rem spiritualem ad tollendam injustam vexationem?*

R. Non potest; ratio est, quia ablatio injustae vexationis est quid temporale, hinc dando aliquod spi-

---

in ordine, quae ita se habet. *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii; sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

rituale pro ea tollenda, daretur spirituale pro temporali, quod est simonia.

Q. *Titius obtinuit a Cajo beneficium, et admirans tantam Caii erga se liberalitatem, in signum gratitudinis dedit ei vestem valoris viginti ducatorum, fuit ne simoniacus?*

R. Non fuit simoniacus; quia illius vestis donatio fuit pure gratuita, neque secuta ex aliqua conventione, aut pacto inter Cajum donantem, et Titium recipientem (1).

Q. *Est ne simonia dare temporale in gratuitam compensationem rei spiritualis, et e contra?*

R. *Affirm.* quia datur veluti debitum ex pacto previo; atque adeo perinde ac si pactum praecessisset (2).

Q. *Si quis dat spirituale ob motivum rei temporalis, committit ne simoniam?*

R. Utique est simonia (3),

Q. *Qui vendit pensionem (4) committit ne simoniam?*

---

(1) Constat id ex Can. 4. Sicut Episcopus decret p. 2. causa 7. q. 2.

(2) Unde merito damnata fuit ab Innocentio XI. sequens Propositio n. 45. *Non est simonia, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, et contra.*

(3) Contrarium namque est ab eodem Summo Pontifice damnatum, cum sequenti propositione; *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur, tamquam pretium, sed dumtaxat, tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.*

(4) Pensio est jus percipiendi partem fructuum alicujus beneficii, auctoritate Pontificis consignati; et triplex est, scilicet Clericalis, Laicalis, et Mixta. Pensio Clericalis est illa, quae requirit Ordinem in subjecto, et traditur ad administrandum aliquid spirituale, uti

R. Si vendit pensionem Clericalem committit simoniam; quia cum illae pensiones tam ex parte principii, quam ex parte finis sint rebus spiritualibus adnexae, induunt rationem beneficii clericalis. Si vero vendit pensionem laicalem, nullam simoniam committit sive de jure divino, sive de jure Ecclesiastico, quia nihil spirituale continet, nec ei connectitur. Si tandem vendit pensionem mixtam, et tunc spectato jure Ecclesiastico, simoniam committit, uti patet ex stylo Curiae Romanae, quae hujusmodi venditiones, tamquam simoniacas damnat.

Q. *Potest ne absque simonia vendi jus Patronatus* (1)?

---

est illa quae datur Coadjutori Episcopi, Parochi etc.; Laicalis est illa, quae nec ordinem requirit in subjecto, neque ad aliquod ministerium Ecclesiasticum, et spirituale ordinatur; uti est illa, quae a Summo Pontifice alicui Principi laico datur, ut Ecclesiam defendat. Pensio tandem mixta est illa quae licet ex parte, subjecti ordinem requirat, datur tamen titulo omnino temporali; talis est illa quae datur Parocho impotenti, vel Clerico pauperi, ut illis pro alimento inserviat.

(1) Ius patronatus est jus nominandi, seu presentandi Clericum idoneum ad beneficium Ecclesiasticum vacans; et duplex est, Ecclesiasticum nempe, et laicale. Ecclesiasticum est illud quod personae Ecclesiasticae convenit, ratione vel beneficii, vel dignitatis quam habet, vel quia de bonis Ecclesiae fundatum est: Laicale vero est illud quod a Laico de bonis patrimonialibus fundatum est, et convenit tam Clerico, quam Laico. Tribus autem modis, seu rationibus juspatronatus adquiritur; scilicet 1. fundatione; 2. aedificatione; et 3. dotatione, juxta illud *Glossae* versum

Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

Generatim vero quatuor modis de uno ad alium transfertur; 1. scilicet *successione*; 2. *donatione*; 3. per-

R. Cum jus Patronatus sit ordinatus ad beneficii collationem, utique est spirituali adnexum; adeoque jure saltem positivo, vendi non potest, quin simonia contrahatur (2).

Q. *Beneficii permutatio* (3) *datur ne sine simonia* ?

R. Permutatio Beneficii sine superioris facultate facta simoniam continet, Nam, ut plurimum; in alicujus beneficii permutatione respicitur proprium commodum.

Q. *Qui beneficium alteri resignat* (4), *committit ne simoniam*?

R. Vel loquimur de resignatione conditionata, et dico ipsum committere simoniam, si resignatio fit sine auctoritate Pontificis; vel loquimur de resignatione pura, et dico simoniam non committere si re-

---

mutatione; 4. venditione universitatis. Ubi advertendum est, quod si permutatio vel donatio fit a Laico ad alium Laicum, juxta Anacletum, et alios, requiritur Episcopi consensus.

(2) Ita Angelicus Doctor art. 4. Quaest. 100. ex Cap. de jure in 5. *de jure patronatus*.

(3) Permutatio nihil est aliud, quam mutua, et reciproca beneficiornm resignatio, quae in invicem fit inter permutantes. Ad permutationem plures requiruntur conditiones; 1. ut adsit justa causa ab Episcopo disquirenda, et probanda; 2. ut beneficium sit proprium 3. ut permutatio fiat legitimi superioris auctoritate, videlicet Pontificis, vel saltem Episcopi, qui habet jus conferendi, instituendi, et amovendi beneficiarium a simili beneficio. Ex Cap. *Quaesitum de rerum permutatione*.

(4) Resignatio est spontanea beneficii dimissio facta coram legitimo superiore illam acceptante. Ea autem duplex est; una scilicet pura, et absoluta; alia vero conditionata, hoc est in favorem tertii, vel cum aliqua pensione.

signatio fit auctoritate Episcopi, etiamsi per modum commendationis nominetur aliqua persona.

Q. *Transactio seu actio onerosa ad terminandam litem beneficialem potest ne fieri absque simonia?*

R. 1. Transactio est pactio gratuita de re dubia et lite incerta ad litem dirimendam (1).

R. 2. Transactio, in qua ex una parte beneficium Ecclesiasticum, et ex altera parte res temporalis datur, remittitur, vel retinetur est simoniaca (2). Quapropter si in lite beneficiali litiganti datur pecunia ut a lite desistat, iste talis committit simoniam, quia habetur commutatio rei spiritualis pro temporali.

Q. *Est ne simoniaca transactio quae fit circa rem spiritualem alterius rei spiritualis?*

R. Extra materiam beneficii non est simonia, modo sit proportionata, etiamsi fiat auctoritate propria, quia transactio est quaedam species permutationis; quae potest fieri inter spiritualia, quia nulla est prohibitio. In materia autem beneficii non sic, quia in materia beneficii omnis reciproca pactio, conventio, et permutatio quae propria auctoritate fit, tamquam simoniaca, jure Ecclesiastico, prohibetur (3).

Q. *Qui omittit actionem spiritualem pro pecunia accepta committit ne simoniam?*

R. Si accepit pecuniam pro omissione actus jurisdictionis spiritualis, vel potestatis Ecclesiasticae, committit simoniam; nam cum facere, aut omittere actionem spiritualem proprium sit jurisdictionis spiritualis, aut potestatis Ecclesiasticae, proculdubio qui accipit temporale pro omissione hujusmodi actus, simoniam committit, eo quia accipit temporale pro spirituali.

---

(1) Ita ex L. I. *Qui transigit* D. Lib. 2 tit. 16 de transactionibus.

(2) Ex Cap. IV. *Cum pridem de pactis.*

(3) Ex Cap. *Super* etc.

Q. *Committit ne simoniam qui dat temporale Ecclesiastico nolenti, in casu necessitatis, administrare Sacramenta?*

R. Non committit simoniam, quia in tali casu temporale non datur pro spirituale, sed ad tollendam injustam vexationem.

Q. *Est ne simoniacum suscipere ordines causa obtinendi beneficium, et principaliter ob ejus redditus?*

R. Simoniam committit, quia in spirituali parat sibi viam ad bonum temporale principaliter intentum (1).

Q. *Est ne simonia pro mercede temporali administrare Sacramenta, docere Sacram Theologiam, concionari, Missam celebrare?*

R. Si merces temporalis datur, vel accipitur pro labore intrinseco, qui impenditur in hujusmodi sacris atque spiritualibus operibus exequendis, et dico esse simoniam, quia datur temporale pro spirituale (2). Si vero merces datur, vel accipitur non intuitu rei sacrae, vel laboris intrinseci in esequtione rei sacrae, sed ratione laboris extrinseci, aut per modum justi stipendii, nec non ad Ministrorum necessariam sustentationem, et dico non esse simoniam (3).

---

(1) Advertendum tamen est cum Fagnano in Cap. 22. *Ad nostram*: *Clericum hujusmodi, qui ordines sumit, ut beneficium consequatur, simoniam committere mentalem, quae non obligat ad beneficii dimissionem, sed tantummodo ad satisfaciendum Deo per poenitentiam, nisi pactum praecesserit.*

(2) Id apertissime constat ex arg. c. *Si quis objecerit* 1. q. 5 et Cap. *Ad nostram*, *de Simonia*, ubi generaliter *mandatur*, *quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo nullatenus pecunia exigatur.*

(3) Atque haec est communis recepta sententia, et patet ex unanimi omnium consensu, et praxi quotidiana fidelium. Et revera nemo tenetur alicui, propriis ex-

Q. *Est ne simonia dare pecuniam pro sepultura?*
R. Si pecunia datur titulo eleemosinae pro manutentione fabricae Ecclesiae, vel sustentationis ministrorum Ecclesiae, et tunc non est simonia. Si vero datur pecunia ut ematur locus sacer, et tunc est simonia, quia datur res spiritualis et sacra pretio temporali (1).

---

pensis inservire. *Nam quis militat suis stipendiis unquam* ? scribit Apostolus ad Corint. Cap. IX. v. 9. et seq. *Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* . . . . *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metemus?* . . . . . *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui Altari deserviunt, cum altari participant? Ita et dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere?* Ex quibus testibus inferunt Doctores, quod iis qui Populis spiritualia ministrant, debeatur sustentatio ex justitia, sicuti operario merces seu cibus debetur, unde et *stipendium sustentationis* appellatur. Hinc addunt non pauci, scribit Anacletus, Reiufest. *Tract. V. de Relig. Dist. III. q. 3. de Simonia n. 29* « quos sequitur Layman *Lib. 4. Tract.* » *10*, Cap. ult. § 2. n. 15. etiam licitum esse Ministris » Ecclesiasticis, quantum est ex natura rei, de ejusmodi » stipendio congruo sustentationis, ob spiritualia mini- » steria persolvendo pacisci. Ratio est, tum quia quili- » bet potest pacisci de eo, quod sibi jure naturae de- » betur. Tum quia Clerici sic paciscentes non exigunt » aliquid tamquam pretium spiritualis ministerii etc., » sed ejusmodi ministerium sacrum gratis exhibentes, » requirunt dumtaxat congruam a Populo sustentationem, » atque ad majorem huius securitatem paciscuntur de » ejus quantitate ubi haec, Superiorum aucthoritate, » vel consuetudine nondum est determinata, vel si est » determinata, ut integre prestetur..

(1) Vid. Lucius Ferraris V. Sepultura n. 57.

TRACTATUS III.

DE II. DECALOGI PRAECEPTO.

Exposita hucusque, atque dilucide explicata, quae de primo Decalogi praecepto necessario, atque utiliter scienda erant, atque tenenda, ut Deo unico, et vero debitus religiosus cultus, et obsequium exhibeatur, opere pretium nunc est, ut ad aliud praeceptum explicandum transeamus, ordine secundum in Decalogo, quod ita se habet. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Quod sane, uti constat, ex una parte est negativum, adfirmativum ex altera; quatenus negativum est, prohibet omnem irreverentiam erga Dei sanctissimum Nomen; quatenus vero adfirmativum praecipit erga idipsum omnem reverentiam, atque religiosum obsequium. Porro irreverentia erga Dei Nomen committitur blasphemia, perjurio, temerario jurejurando, non servando vota, seu promissa Deo, vel Sanctis facta. Reverentia vero erga Dei nomen exhibetur, illud benedicendo, jurando cum debitis conditionibus, ac juramenta religiose servando; vota et promissiones exacte adimplendo. In praesenti igitur Tractatu, distinctis Capitibus de Blasphemia, de Juramento, atque Voto verba faciemus: Unde sit.

CAPUT I.

De Blasphemia.

Q. *Quid est Blasphemia?*

R. Blasphemia est contumeliosa in Deum locutio (1).

Q. *Quotuplici modo committi potest blasphemia?*

R. Multiplici modo potest committi 1. negando de Deo quod Deo convenit, aut asserendo quod ei non convenit (2); 2. Deum detestando (3); 3. Tribuendo creaturae, quod solius Dei proprium est (4); 4. inhonorando Sacramenta, Reliquias, aut alias res sacras, prout ad Deum spectant (5); 5. probrose, atque contumeliose per despectum, ac indignationem nominando Dei attributa (6).

---

(1) Blasphemia namque, secundum vim nominis, idem est ac nocens dictum, sive maledictum; unde Augustinus de mor. Manich. C. 12. inquit. *Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere.*

(2) Hoc pacto Blasphemarunt Heretici illi, ac homines perditissimi, qui Deo ademerunt Omnipotentiam, Sapientiam, veracitatem etc., aut dixerunt, ipsum esse auctorem peccati, invidum, mendacem, imperitum etc.

(3) Ut si quis diceret: Sit maledictus Deus; vel cum impiis: *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.*

(4) Veluti si quis diceret Daemonem esse aequalem Deo in potentia; proinde adorandum; aut solem, et Lunam esse rectores Coeli, et Terrae etc.

(5) Quomodo faciunt Iconoclastae Haeretici, Lutherani etc. qui BB. Virgini Deiparae, atque Sanctis omnibus in Coelo cum Christo regnantibus, cultum religiosum denegarunt.

(6) Uti esset qui cholera agitatus, atque ira furens, diceret: *Dei potentia*: *Dei bonitas*; *Dei libertas*: aut illa verba, quae vulgato idiomate non raro a viris scelestis proferri audiuntur. *Poter di Dio: cospetto di Dio*: *Corpo di Cristo*, *sangue di Cristo etc.*

Q. *Quotuplex est blasphemia?*

R. Blasphemia multiplex est; nempe 1. *haereticalis*, et 2. *simplex*. Blasphemia haereticalis est illa, quae continet aliquem errorem contra fidem (1), simplex vero, quae nullum continet errorem contra fidem. Atque simplex blasphemia alia dicitur imprecativa, et est illa qua Deo malum aliquod imprecatur (2); et alia dicitur dehonestativa, qua scilicet, per modum contumeliae, aliquod licet Deo conveniens, enunciatur (3).

Insuper blasphemia alia est contra Deum, alia contra BB. Virginem, et alia contra Sanctos. Blasphemia contra Deum est illa, quae immediate fertur contra Deum; Blasphemia contra BB. Virginem est illa quae immediate fertur contra BB. Virginem, mediate contra Deum; Blasphemia contra Sanctos est illa quae immediate fertur in Sanctos, mediate contra Deum. Nam: *Sicut Deus*, ait S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. ad 2. in *Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctos efficit*, ita et Blasphemia, quae *fit in Sanctos*; *ex consequente in Deum redundat*.

---

(2) Ut si quis diceret *Deum esse injustum*; *nescire quae in Mundo ab hominibus peraguntur*, aut *de mortalibus curam non habere*.

(3) Talis est illa, quae frequens ab hominibus impiis profertur veluti: *mala habeat Deus*; *vel maledictus Deus*, *vel Christus* etc.

(4) Hujus generis fuit illa Juliani Apostatae: *Vicisti Galilee*, *vicisti*. Ad hanc blasphemiam referuntur omnia verba injuriosa, usurpantia Christi membra, vulnera, Sacramenta etc.; sicuti etiam omnia verba contumeliosa quae in Sanctos proferuntur formaliter, qualiter Sancti sunt; nec non facta et signa contumeliosa, contra imagines Crucifixi, Virginis Deiparae etc. Vid. Ferraris V. *Blasphemia* art. 1. n. 9. et seq.

Tandem Blasphemia alia est *cordis*, alia *oris*; Prima est illa qua mente, solum concipitur Deum vel esse quod non est: vel non esse quod est: Secunda vero est illa, qua ore profertur vel quod Deo non convenit, vel negatur quod ei convenit.

Q. *Quale peccatum est blasphemia?*

R. Blasphemia est ex toto suo genere peccatum mortale, omni alio gravius. *Nihil horribilius blasphemia,* ait S. Hieronymus (1), *quae ponit in Coelum os suum; omne quippe peccatum comparatum blasphemiae, levius est* (2).

Q. *In materia blasphemiae datur ne parvitas materiae?*

R. Non datur. Quia quaelibet Dei contumelia, vel maledictio est gravis injuria, et contemptus Dei, cum per eam infinita Dei Majestas positive deprimatur, atque dedecoretur (3).

---

(1) In Cap. 18. Isaiae.

(2) Et sane; *Peccatum* ait S. Bernardus T. 1. serm. 41. art. 1. c. 3. *Tanto majus et gravius est, quanto minus motivum habet; si iuvenis et senex adulterium perpetrant, plus in hoc peccaret senex; in ceteris peccatis aliquod motivum est ad peccandum inducens sicut in superbia excellentia dignitatis, in luxuria delectatio carnis, in gula gustus, in avaritia pecunia, in blasphemia autem nullum est motivum, quia nulla est ibi delectatio ad blaspemandum inducens.*

(3) » Si vero loquens absque deliberatione, ex subreptione, non advertat ad vilipensionem Dei, aut rerum Sacrarum, non peccat graviter ait P. Ferraris, ex D. Thoma, Layman etc. tunc enim est defectus plenae cognitionis, et voluntarii; hinc si verba blasphema quae ex impetu, vel subito motu irae proferuntur, omnem rationis advertentiam praeveniant, nullum erit peccatum, sed erunt actus primo primi; ubi enim malitia non est praecognita, non potest esse volita. » Vid. V. Blasph. Art. 1. n. 16.

Q. *Blasphemia haereticalis differt ne a blasphemia imprecativa?*

R. *Differt.* Nam blasphemia haereticalis opponitur Religioni, et fidei professioni; blasphemia vero imprecativa opponitur non solum Religioni, sed etiam Charitati Dei, quippe quae continet odium Dei.

Q. *Differunt ne specie inter se blasphemia contra Deum, contra BB. Virginem Mariam, et contra Sanctos?*

R. *Affirm.* Nam sicuti blasphemia contra Deum opponitur cultui latriae, qui soli Deo debetur; blasphemia contra BB. Virginem Mariam opponitur cultui hyperduliae, qui soli Virgini Mariae debetur; et tandem blasphemia contra Sanctos opponitur cultui Duliae, qui Sanctis debetur; ita non est eadem blasphemia in Deum ac illa, quae est in Sanctam Virginem Mariam, et alios Sanctos, sed diversa pro cultus diversitate (1).

Q. *Est ne blasphemia, conditionate tantum proferre verba blasphemiae, veluti*: Deum denego, si res ita non est?

R. Litigium est inter Doctores. Nam Sanchez cum aliis non paucis vult esse blasphemiam haereticalem; quia negare Deum existere etiam sub conditione, est negare quod Dei proprium est; Sed negare quod Dei proprium est, haereticalis est blasphemia; Ergo etc. At contra alii negant.

Q. *Est ne blasphemia dicere*: hoc verum est sicuti verus est Deus, vel uti verum est Evangelium?

R. Non conveniunt inter se Theologi; sed probabilius videtur non esse blasphemiam, quia tali modo loquendi non vere aequiparatur veritas increata cum

---

(1) Itaque gravius peccat qui blasphemat Deum, ac qui blasphemat BB. Virginem, gravius qui blasphemat BB. Virginem, quam qui blasphemat Sanctos.

veritate creata; sed solum indicatur quaedam similitudo mixta aliqua hyperbole.

Q. *Blasphemat ne qui verba blasphemiae, vel dimidiat, vel parum immutat?*

Q. Qui ita dimidiat, aut immutat verba blasphemiae, ut loco nominis sacri usurpet vocem quae aut nihil significat, aut aliud significat, veluti si diceret: *A dispetto di . . . Mannaggia San . .* non blasphemat; quia ita se gerens, indicat potius se a blasphemia velle cohiberi, quam blasphemare. Non desunt tamen qui aliter sentiunt.

Q. *Est ne blasphemia dicere* potta di Dio?

R. Non conveniunt inter se Theologi. Qui putant verba illa *potta di Dio* esse per syncopen dicta, et significare *potestà di Dio*, volunt non esse plasphemiam illa proferre; qui autem verba illa pro aliquo membro accipiunt, cum membra Deo non conveniant, ideo dicunt, illa verba proferre esse blasphemiam haereticalem.

Q: *Est ne blasphemus qui profert nomen alicujus Sancti; sed cum addito detrahente; uti* mannaggia S. Pietro se l' aggio fatto io?

R. Esto non desint qui existiment, talem blasphemum non esse, probabiliter tamen tenendum est, illum blasphemare; nam prioribus verbis *mannaggia S. Pietro*, non solum completus est sensus blasphemiae, sed qui ea profert satis ostendit se affectum blasphemiae habere.

Q. *Est ne vere blasphemus, qui joco blasphemat?*

R. *Affirm.* Nam cum Deus sit laudabilis nimis, et semper, et ubique colendus, turpissimum atque indecentissimum blasphemiae peccatum est, illum etiam joco dehonestare, maledicere, atque blasphemare (1).

(1) Id ex pluribus auctoribus more suo, confirmat P. Lucius Ferraris V. *Blasphemia*. Art. 1. n. 14. et

Q. *Est ne blasphemia dicere*: mannaggia tutto il mondo?

R. Si per Mundum intelligatur: Mira, atque stupenda haec machina, ex Coelo, Terraque coagmentata, admirabile, et eximium Opus Omnipotentiae, et virtutis Dei, et tunc est vera blasphemia. Si vero per Mundum intelligitur ille, de quo dixit Jesus Christus: *Ego testimonium perhibeo de Mundo, quod opera ejus mala sunt*, et tunc non est blasphemia, neque peccatum illi maledicere.

Q. *Est ne blasphemia maledicere Diabolo?*

R. Si Diabolo maledicatur, uti est creatura Dei, et in quo summa Dei sapientia, et providentia relucet, et tunc est Blasphemia, si vero Diabolo maledicatur, quatenus est Dei inimicus, et hominum hostis, atque malorum effector, et tunc non est blasphemia illi maledicere, neque peccatum,

Q. *Est ne vera blasphemia maledictio mortuorum?*

R. Non est vera blasphemia, sed simplex, atque levis maledictio (1).

Q. *Blasphemantes incidunt ne in aliquam poenam?*

R. Cum blasphemia sit grave peccatum, qui blasphemiae rei sunt, in aliquam poenam certe incidunt.

---

seq. dicit enim. Unde tam atrox immane, et detestabile » peccatum est blaspemia, quod etiamsi sit joco prolata; dummodo deliberate, et advertenter ad inhorationem Dei, est ordinarie peccatum mortale, quia etiam sic joco prolata vergit in diminutionem divini » honoris; nisi tamen in raro casu talis esset jocus, ut » omnibus perpensis, nulla apparet diminutio divini honoris, quia tunc, ex quo non esset vera blasphemia, » non esset peccatum mortale.

(1) Vid. B. Alphonsus a Ligorio Theol. Mor. Lib. 3. de 2. Decal. Praccepto Cap. 1. n. 130.

Quod si pro mensura delicti erit et plagarum modus,(1) si blasphemia est horribilius omni alio delicto, gravior poena ei debetur, non solum in futura vita apud Inferos, sed et in hac praesenti vita quoque. Hinc in Veteri lege, blasphemi poena mortis plectebantur *(2)*; et modo variis poenis tam de jure Canonico, quam de Jure Civili (3), subditi sunt. In Dioecesi autem Neapolitana incidunt in Casum reservatum absque excommunicatione (4).

---

(1) Deuteron 25. 2.

(2) Ita legitur in Libro Levitici Cap. 24. n. 16. *Qui blasphemaverit nomen domini, morte moriatur, lapibus opprimet eum omnis populus*. Et de facto, non pauci Sacris in Litteris, propter blasphemiam, mortem subjerunt.

(3) De jure Canonico, poena blasphemantis Deum, si sit Clericus, est depositio ab Officio et statu Clericali; si vero sit Laicus est Excommunicatio ferendae sententiae. Cap. Si quis 10. Caus. 22 q. 1. ibi. En verba. *Si quis . . . . blasphemia contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico Ordine fuerit, deponatur; si Laicus anathematizatur*. Praeter has poenas variae aliae contra blasphemos, sive Ecclesiasticos, sive Laicos a Summis Pontificibus, statutae sunt, praesertim Leone X. Con. 7. quae incipit: *Apostolatus. Supremae dispositionis*; Julio III. Const. 32. quae incip. *In multis*. Pio V. in Const. quae incip. *Quamprimum Apostolatus*. De jure autem Civili poena contra Blasphemos, erat poena mortis. *Authent*: *Ut non luxurientur homines* §. *Et quoniam collat*. 6. novell. 77. quam poenam Carolus V. *Constit. crim*. art. 106. statuit praesertim pro gravi blasphemia contra Deum. Pro blasphemia vero in BB. Virginem Mariam, aliosque Sanctos praecisio, vel mutilatio linguae, fustigatio, carceratio etc. statuta est. Verum hae poenae hodie in usu non sunt; ast non ideo blasphemia minus execrabilis facta est. Vid. P. Ferraris loco cit. art. 2. n. 1 et seq.

(4) Uti ex primo Casu absque excommunicatio-

CAPUT II.

De Juramento.

Q. *Quid est juramentum?*

R. Juramentum est supremi Numinis invocatio in testimonium dicti alicujus, vel facti (1):

Q. *Quaenam requiruntur ut juramentum sit validum?*

R. Duo requiruntur; nempe 1. Intentio, seu voluntas jurandi, et 2. Actus externus, quo Deus in testimonium invocatur.

Q. *Ad quid tenetur qui solum in interno juraret aliquid efficiendi, quin daret etiam signum aliquod externum?*

R. Virtute Religionis obligatur ad illud tantum in foro interno exequendum, non vero etiam in foro externo, quia ut quis obligetur in foro externo, debet aliquo exteriori signo juramentum patefacere.

Q. *Juramentum est ne licitum?*

R. Maxime: Idque clare patet ex Divino ora-

---

ne, qui ita se habet: *Blasphemantes Deum, vel B. Virginem Mariam ex perversa consuetudine, coram pluribus supra quatuor.* Ex quibus verbis clare patet 1. in casum reservatum non incidere qui blasphemaret solum aliquem ex Sanctis, non vero Deum, aut B. Virginem; 2. nec etiam incidere qui blaspbemaverit, non ex perversa consuetudine, sed vel ex motu furoris, vel iracundiae; nec etiam qui blasphemaverit quidem coram pluribus supra quatuor, sed illi aut erant surdi aut alio distracti: vel tandem non intellexerunt verba blasphema.

(1) Finis itaque juramenti est confirmatio rei alicujus vel dubiae, vel controversae. Ita Apostolus ad Hebreos Cap. 6. *Omnis controversiae finis est juramentum.*

culo, quod habetur in Deuteronomio (1); *Dominum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis* (2).

Q. *Quaenam sunt conditiones requisitae, ut juramentum valeat?*

R. Conditiones ad valorem juramenti requisitae sunt tres, scilicet 1. *Veritas*; 2. *Judicium*, et 3. *Justitia* (3).

Q. *Quid significat* jurabis in veritate?

R. Significat, quod ille qui jurat, prudenter, et cum certitudine judicet verum esse quod dicit, et sit moraliter certus, quod exequatur id quod promittit (4).

---

(1) Cap. VI. v. 13.

(2) Non desunt exempla Sanctorum, qui juraverint. In Veteri lege Moyses juravit, dicens (Deuter. Cap. 4. v. 4. *Testes invoco Coelum, et Terram*; idipsum fecerunt Abraham, Isaac, et Jacob, et in Nova lege Paulus, 2. ad Corinth. Cap. I. *Testem invoco Deum in animam meam*; et alii similiter. Et ratio est, quia juramento recognoscentes nos Deum uti summam veritatem, actum latriae facimus. Neque obstat, quod apud S. Matthenm Cap. V. v. 34. ait Christus Dominus: *Ego autem dico vobis non jurare omnino; sit autem sermo vester est est, non, non*, quoniam ibi loquitur Jesus Christus de juramento, quod fit temere, absque debitis conditionibus requisitis, et sine justa ratione.

(3) Ita legitur apud Jeremiam Prophetam Cap. IV. *Jurabis, dicit Dominus, in veritate, et judicio et justitia.* In quae verba ait S. Hieron. *Advertendum, quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.*

(4) Quare si quis jurat quod nescit esse verum, vel an verum sit, dubitat, grave peccatum committit, etiamsi juramentum sit de re levi. Nam cum Deus

Q. *Qui jurat verum, dum ipse putat illud falsum, quale peccatum committit?*

R. Grave peccatum committit, quia quantum est a se, jurat falsum; et voluntas sua alia non fuit quam vocare Deum in testem falsitatis.

Q. *Si quis jurat efficiendi rem aliquam, quam cognoscit exequi de facto non posse, quale peccatum committit?*

R. Committit peccatum mortale. Nam qui promittit facere rem aliquam, quam cognoscit impossibilem quae fiat a se, habere non potest efficax propositum illam adimplendi, hinc promittendo quod illam exequatur, mentitur (1).

Q. *Licet ne jurare sine animo jurandi?*

R. Minime; Sed est semper intrinsece malum, quia talis simulatio continet sacrilegum mendacium, eo quod copulatur cum abusu nominis Dei (3).

Q, *Quid intelligitur per* judicium, *in juramento*

---

sit veritas infallibilis, nequit sine gravi irreverentia, et injuria in testem falsitatis vocari sive magna, sive levis et jocosa sit res; quia hoc daretur intelligi, inquit Angelicus Doctor (2. 2. q. 98. art. 1), quod aut Deus veritatem non cognocat, aut quod velit falsum testari. Hinc jure, meritoque Innocentius XI. sequentem damnavit propositionem: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem.*

(1) Idipsum dicendum est de eo, qui cum juramento promittit rem aliquam facere, absque voluntate illam adimplendi. Nam qui jurat facere aliquam rem; jurat se habere voluntatem illam exequendi; itaque non habens talem voluntatem, mentitur.

(3) Itaque numquam licitum est jurare sine animo jurandi sive res magna, sive sit parva; sive gravis, sive levis, et oppositum fuit a Pontifice Innocentio XI. damnatum cum Propositione n. 25 in ord., *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi.*

R. Intelligitur, quod sine discretione, consideratione, prudentia, maturo examine, et reverentia veritatis juramentum non fiat, neque etiam juretur sine gravi causa, aut necessitate.

Q. *Quale peccatum committit qui jurat sine gravi necessitate, vel utilitate?*

R. Peccatum saltem veniale committit (1).

Q. *Quid intelligitur per illa verba* jurabis in veritate?

R. Intelligitur, Juramentum esse debere de re licita, et honesta, et quod nihil mali alteri faciat.

Q. *Si quis jurat faciendi rem illicitam, at sine animo illam exequendi, quomodo peccat?*

R. Peccat graviter, et est perjurus, quia mendacium juramento confirmat.

Q. *Quot peccata committit qui jurat facere rem aliquam illicitam?*

R. Committit duo peccata mortalia, unum quia vult rem graviter malam, alterum contra Religionem. Etenim est gravis irriverentia erga Deum, confirmare se in proposito offendendi Deum cum auctoritate et testimonio Dei ipsius.

Q. *Quaenam sunt formulae jurandi?*

R. Formulae jurandi aliae sunt *clarae*, et a-

---

(1) Id patet ex D. Apostolo Jacobo in sua Epist. Cap. V, qui scripsit: *Nolite jurare quodcumque juramentum . . ut non sub judicio decidatis.* Quod si aliqui sunt, qui habent consuetudinem sine necessitate jurandi, et quacumque vel etiam levi causa in juramenta prorumpunt; isti ob periculum pejurandi, in quod incidunt, et propter irreverentiam, quam ostendunt contra summam Dei bonitatem, peccatum mortale committunt. Et ideo unumquemque monet Spiritus Sanctus dicens in Ecclesiastico Cap. 23 v. 9. *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa . . . . . vir multum jurans implebitur iniquitate.*

liae *ambiguae*. Formulae clarae sunt sequentes. *Juro per Deum. Deus est mihi testis. Vivat Deus: Invoco Deum in testimonium*; atque necesse non est ut usurpetur verbum *Juro*, sed sufficit confirmare propria dicta *per Deum*, *per fidem Dei*, *per fidem Jesu Christi*. Ambiguae vero sunt sequentes: *Scit Deus, coram Deo loquar: Deus videt quod ita est*, quae formulae si enunciative pronuntiantur, juramenta non sunt, at si invocative pronuntiantur sunt juramenta, veluti cum Paulus ad Galatas scribens (1) dixit: *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior* (2).

Q. *Quotuplicis generis est juramentum?*

R. Multiplicis generis. Et primo ex parte illius qui illud facit, juramentum aliud est *invocatorium*; aliud *assertorium*. Juramentum invocatorium, quod dicitur etiam *contestativum* est illud, quo invocatur Deus velut testimonium: Ex. gr. *Juro per Deum quod ita est*. Imprecatorium vero sive *execratorium*, est illud quo non solum invocatur Deus uti testimonium infallibile veritatis, sed etiam uti vindex falsitatis; tale est si quis diceret. Ita me Deus puniat, me faciat mori.

Secundo ex parte rei quae juratur; juramentum aliud dicitur *Assertorium*, aliud *promissorium*, aliud

---

(1) Cap. 1. v.

(2) Juramenta itaque non sunt hae formulae, quod passim audiuntur: *In veritate rei*; *In veritate*; *per fidem meam*, *in mea fide*, *in fide hominis boni*, *in conscientia mea*. Neque etiam juramenta dici debent hae formulae *per fidem Christiani*; *per fidem Religiosi*, aut *Sacerdotis*, quia in istis, et aliis similibus expressivis non laudatur fides divina, sed fides hominis, quatenus est homo bonus, Christianus, aut Religiosus. In praxi vero consuli debet intentio illius; qui ea profert, et circumstantia in qua proferuntur.

executorium, aliud *commissorium*, et aliud *contestativum*.

Juramentum assertorium est illud, quo affirmatur, vel negatur aliqua res sive praesens, sive praeterita. E. g. *Juro, rem ita esse, aut ita fuisse*: *Juro quod res ita non est, aut ita non fuit*.

Juramentum vero promissorium est illud cum quo affirmatur, vel negatur aliqua res futura; uti E. g. Per *Deum tibi dabo centum aureos*, vel etiam: *Non dabo tibi amplius displicentiam*. Comminatorium vero est illud cum quo quis alicui promittit malum aliquod poenae, uti esset: *Per Deum, te occidam*, vel: *mittam te in carcerem*.

Tertio ex parte modi faciendi juramentum, illud est vel *simplex*, vel *solemne*. Juramentum simplex est illud quod fit a personis privatis, et cum verbis illis, quae magis placent; solemne vero est illud, quod fit cum aliqua solemnitate, veluti cum quibusdam formulis verborum vel coram Notario, et duobus testibus, aut in Judicio cum tactu S. Evangelii, vel Sanctarum Reliquiarum. Et hoc juramentum dividitur in *verbale*, *reale*, *et mixtum*. Juramentum solemne verbale est illud quod fit aliqua adsignata forma verborum. Reale quod fit aliqua actione corporali, scilicet tactu altaris, Libri Evangeliorum, Crucis, Sceptri; vel elevatione manus; aut digitorum in altum.

Q. *Praedictae jurandi formulae sunt ne ejusdem speciei, aut diversae?*

R. Docent communiter Doctores, esse ejusdem speciei, quia omnia supradicta juramenta conveniunt in ratione formali, invocandi Deum in testem.

Q. *Est ne licitum exigere juramentum ab illo, qui praevidetur, quod sit pejeraturus?*

R. Si loquitur de persona privata, et non est ei licitum (1): Si vero loquitur de persona publica,

(1) Et ratio est, quia finis principalis juramenti

sive de Judice, et licitum est ei a tali persona juramentum exigere ad instantiam partis (1).

Q. *Est ne licitum Christiano, stante justa causa, petere juramentum ab illo, quem scit fore juratorum per falsa Numina?*

R. Licitum est non quidem ut determinate juret tali modo, sed absolute, et in genere. Atque haec omnium ferme Theologorum cum D. Augustino, et D. Thoma Aquinate etc. sententia est (2). Nam quando Christianus petit ab Ethnico juramentum, rem licitam petit, quod si Ethnicus cum posset jurare per Deum verum, jurat per Deos falsos, hoc nonnisi ex propria malitia provenit (3).

Q. *Quandonam juramentum promissorium non obligat?*

R. Non obligat in sequentibus casibus: ac 1. quando est de re illicita, vel impossibilis ad exequendum (4): 2. quando est de re indifferenti: 3. quando

---

est confirmatio veritatis, nunc si in perjurio pervertitur veritas: necessario deficit finis juramenti, et consequenter licitum non est illud requirere.

(1) Et revera Officium Judici est procedere secundum scientiam publicam non vero privatam. Hinc cum scientia publica exigat ut adhibeantur omnia illa cum quibus erui potest veritas, juste potest Judex juramentum exigere, quod ad talem finem est destinatum.

(2) Vid. Luc. Ferraris V. Juram. artic. 1. n. 55.

(3) Quomodocumque autem, concurrente justa causa, id licitum sit; Numquam temen licitum est ad tale juramentum determinate inducere, cum numquam licitum sit alium ad malum inducere; uti bene notant citati Patres, atque doctores omnes.

(4) *Ex Cap.* 18. *de jurejur. ex Regula juris.* Nam juramentum non est vinculum iniquitatis; et impossibilium nulla est obligatio.

est de re, cujus oppositum est melius (1); 4. quando est factum per errorem circa substantiam rei promissae, vel circa causam finalem et motivam. 5. quando materia juramenti, illicita, vel impossibilis effecta est, aut notabiliter mutata (2).

Q. *Est ne obligatorium juramentum, timore gravi, vel injuria extortum?*

R. Si juramentum est de re licita, et quae damnum proximo non affert, certo est obligatorium, quia est verum juramentum; quare cum juramentum Deo fiat, Dei respectu observari debet.

Q. *Titius ut licentiam obtineat exeundi e carcere, ad expedienda sua negotia, jurat se reversurum carcerem; tenetur ne stare juramento, et carcerem ingredi, si timet poena mortis fore damnandum?*

R. Si Titius est juste in carcerem detentus, et tenetur carcerem reverti, quia talis reditus debetur fidelitati, Religioni, atque justitiae. Si vero erat in carcerem injuste detentus, et tunc non tenetur reverti; tenetur tamen petere juramenti relaxationem; quia jure Naturae debet unusquisque vitam suam indemnem servare, dummodo tamen absit scandalum, et Religionis injuria.

Q. *Est ne licitum, atque obligatorium juramentum factum contra consilia Evangelica?*

R. Neque licitum est, neque per consequens obligatorium (3).

---

(1) Quod certe non obligat, dummodo tamen in alterius commodum factum non fuerit.

(2) Quia tunc deest verus consensus, et qui jurat existimatur jurare sub conditione, scilicet *si ita res sit.*

(3) Quare si quis jurat non ingredi Religionem, peccat faciendo tale juramentum; posset nihilominus illud observare; sed melius est si illud non observet. Quod si tale juramentum contra consilia Evangelica fit homi-

Q. *Debet ne servari juramentum comminatorium?*

R. Si poena, quae est minitata est injusta; certe adimpleri non debet, quia est de re illicita. Si vero poena est justa, et non impedit majus bonum; vel etiam ablata non est causa, propter quam adimpleri debebat, et tunc debet juramentum servari (1).

Q. *Quinam sunt illi qui possunt jurare?*

R. Extra forum judiciale, omnes jurare possunt, dummodo tamen ratione dotati sint; in foro autem judiciali non admittitur juramentum impuberum, quia non existimatur, ipsos talem rationis discretionem habere, ut ipsorum juramentum recipi debeat cum praejudicio partis litigantis (2); Insuper ad jurandum in judicio admittendi non sunt perjuri (3), atque pro levi causa cogendi non sunt sacerdotes ad jurandum in judicio; sed aliquando tantum, et ex gravi

---

ni, quamvis qui ita jurat, ordinarie peccat, juramentum tamen est obligatorium, quia in obligatione juramenti homini facti, ad hoc non attenditur quod majus sit, vel minus bonum, aut indifferens illud quod promittitur, sed illud quod cedit in commodum illius, in cujus favorem facta est promissio. Hinc est, quod Sponsalia jurata obligant, esto impediant vitam celibem, quae est melior.

(1) Hinc si Pater cum juramento minitatur filiis aliquam poenam ad ipsorum correptionem, tenetur eam illis applicare, semper ac subsistat causa puniendi, et haec non impediat majus bonum.

(2) Unde agendo de causis civilibus non admittuntuntur impuberes ad jurandum; et agendo de causis criminalibus, in eo qui jurat, aetas requiritur viginti annorum.

(3) Nam periculum adest, et suspicio eos de novo pejeraturos esse, quos constat semel pejerasse. Qui enim turpi fraude semel innotuit, amittit merito fidem etiamsi verum dicit.

necessitate, atque utilitate (1). Clerici tandem prestare juramentum non debent in manus Laici, qui exigit juramentum coactivum, vel necessarium.

Q. *Est ne licitum jurare cum restrictione mentali?*

R. Restrictio mentalis duplex est; una scilicet *pure mentalis*, altera *mixte mentalis*. Pure mentalis habetur quando quis dicit aliquid contra mentem, hoc est aliter ac habet in mente, absque aliquo signo externo. Uti Ex. gr. si quis requisitus ut dicat: an Petrus per illac transierit, dicit per solam actum internum mentis: *per isthac non pertransiit*, intelligendo per manicam sui habitus. Mentalis vero restrictio mixta habetur, quando aliquis dicit ore, et aliud intelligit in mente cum aliquo signo externo, a quo potest cognosci illud quod habet in mente. Ita si quis requisitus ut dicat: an per illac transierit Franciscus, posita in manicam manu, respondit per isthac non transiit.

Sciendum insuper, *verbum ambiguum* esse illud, quod plura habet significata; uti si quis habens librum in manu diceret: hic liber est Petri, quod duplici sensu accipi potest, hoc est quod Petrus sit Auctor Libri, aut quod Petrus sit Libri dominus. His praemissis.

R. Non licet jurare cum restrictione pure mentali; imo est mortale peccatum, quia continet mendacium (3). Cum restrictione vero mentali mixta et

(1) Ut enim inquit Angelicus Doctor *ex Cap. Signif. de electione*, dictum hominis non indiget confirmatione, nisi quando dubitatur de ipso; neque personae derogat, quod dubitetur de veritate illarum rerum quae dicit; ideo personis magnae dignitatis non convenit jurare. Qua de re non debent Sacerdotes ob rem levem jurare.

(2) Uti constat ex Propositione ab Innocentio XI.

cum verbis ambiguis licitum est jurare, dummodo tamen facultatem habeat veritatem occultandi; quia talis locutio habet externum significatum similem conceptui interno mentis illius qui loquitur, nec facta est ad decipiendum, sed ad occultandam veritatem, ad quam jus habet. Quod si qui jurat, facultatem non habet veritatem occultandi, tunc non licet jurare, non quia juramentum includit mendacium, sed qnia humanum commercium perturbatur. Agendo autem de verbis ambiguis, in tribus casibus uti non possumus in jurando; scilicet 1. in contractibus: 2. coram lelegitimo judice; et 3. cum proximi damno.

Q. *Quot modis cessat obligatio juramenti promissorii?*

R. In sequentibus modis; 1. scilicet per remissionem factam ab illo, in cujus favorem factum fuit juramentum; 2. per irritationem factam a superiore, cui juramenti materia est subjecta; 3. per commutationem; 4. tandem per dispensationem (2).

---

et a Clero Gallie. art. 7.damnata; 1. nempe: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte; sive recreationis causa, sive quocumque alio fine jurat se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

(2) Advertendum tamen est, quod in juramento in favorem alterius praestito, et ab illo acceptato, dispensari nequit, nisi propter bonum commune, et dummodo promissarius non extorserit juramentum per injuriam; hoc est per vim, aut metum gravem.

CAPUT IV.

De Adjuratione, Perjurio, atque Mendacio.

Q. *Quid est Adjuratio?*

R. Adjuratio est invocatio Dei, aut alicujus personae, vel rei sacrae, ut aliquis inducatur ad aliquid faciendum, vel omittendum (1).

Q. *Quotuplicis generis est adjuratio?*

R. Duplicis est generis; 1. nempe *Deprecativa* et 2. *Imperativa*. Prima fit, cum orando nitimur inducere alium ad faciendum aliquid, vel omittendum respectu excellentiae, virtutis, ac meritorum alterius (2). Altera fit, cum invocando Deum, Jesum Christum, aut Sanctos, praecipimus alicui ut aliquid efficiat, vel ab eo faciendo se abstineat (3).

---

(1) Talis fuit illa Pauli I. Thess. Cap. V. v. 27 *Adiuro vos per Dominum, ut legatur Epistola haec omnibus Sanctis fratribus*. Igitur Adjuratio, ait Anacletus Reinfestuel Tract. V. dist. 1 q. 2. n. 20. debite facta » est actus Religionis, quia per Divini Nominis invoca» tionem, vel alterius rei sacrae reverentiam, adjurando » alterum, boni quidpiam ab eo obtinere contendimus, » estque Deo gratissimum si reverentia, et amore sui » quispiam adjuranti obsequatur, prout et Christus il» lico Principi Sacerdotum se se adjuranti obsecutus fuit, » dicendo manifeste veritatem ».

(2) Veluti cum dicimus: *Pater aeternae per merita filii tui Domini Jesu Christi, miserere nobis, et propitius esto peccatis nostris*. Aut cum dicimus: *Domine Jesu Christe per mortem et passionem tuam, et per dolores Matris tuae Mariae libera nos ab insidiis Diaboli, et omni malo etc.*

(3) Uti esset, quando in virtute nominis Jesu praecipimus Daemoniis ut exeant a corporibus obsessis; ut discedant a locis, quae infestant; ut cessent a damno animalibus; hominibus, agris faciendo etc.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut adjuratio sit licita?*

R. Quoniam adjuratio affinitatem habet cum juramento, ita sicut illud, et isthaec tres habere debet conditiones; scilicet: *veritatem*, *justitiam*, *et judicium.* Veritas consistit in hoc, quod qui adjurat, intendat vere consequi, quod petit; et quod vera sit causa propter quam fit petitio; ulterius consistit veritas quod quis adjuret per Deum verum, vel per Sanctos, aut per res, et Mysteria vere sacra (1). Justitia consistit in hoc, quod adjuratione, petatur res honesta, et licita (2). Judicium tandem consistit in hoc, quod adjuratio fiat cum debita reverentia, necessitate, atque utilitate.

Q. *Quale peccatum committit qui adjurat sine laudatis conditionibus?*

R. Si adjurat sine veritate, sed cum mendacio, peccat mortaliter, esto non desint qui aliter sentiant: Si adjurat sine justitia, et id quod petit est peccatum grave, graviter peccat; si vero est tantum veniale, venialiter peccat; dummodo tamen non peteret quidem rem illicitam venialiter, sed per merita Jesu Christi; quia tali modo petens quod Jesu Christo displicet, grandem injuriam illi faceret. Si tandem adjurat sine judicio, peccat solum venialiter.

Q. *Quaenam personae possunt a nobis adjurari?*

R. Directe adjurari possunt omnes creaturae ra-

---

(1) Hinc si quis per fictam paupertatem peteret eleemosynam per Deum, per vulnera Jesu Christi, aut per Sanctos, peccaret contra Religionem; qui juraret per falsos Deos peccaret contra Religionem, peccato reducibili ad Idololatriam.

(2) Quare contra Religionem peccaret qui Deum adjuraret ut sibi vires suppeteret ad suum inimicum occidendum, vel ad furandum, vel malum aliud inferendum.

tionales capaces ad faciendum bonum propter amorem Dei. Pariter adjurari potest Deus vel per seipsum, aut per Sanctos, quatenus sunt personae Deo gratae. Possumus etiam adjurare BB. Virginem Mariam per omnes Beatos, non vero per creaturas inferiores.

Imperative autem, et coactive possunt adjurari Daemones; Superiores possunt adjurare subditos suos per Deum, sub hac tamen intelligentia quod talis adjuratio non habet vim obligandi distinctam a praecepto superioris. Possunt etiam, sed indirecte adjurari creaturae irrationales, et animalia noxia, quatenus scilicet a Deo mittuntur in poenam peccatorum, vel a Daemone per invidiam in nos impelluntur; atque ita adjuratio erit deprecatoria respectu Dei, imperativa autem respectu Daemonis.

Q. *Quid est perjurium?*

R. Perjurium est juramentum falsum, quo quis vocando Deum in testem, confirmat esse verum, quod credit esse falsum, et e contra dicit esse falsum quod existimat esse verum.

Q. *Quale peccatum est perjurium?*

R. Perjurium est semper peccatum laethale, dicunt omnes ferre Moralistae, etiamsi materia sit levis, et parvi momenti, uti supra dictum est de veritatis defectu in juramento.

Q. *Datur ne Casus, in quo perjurium non est peccatum grave?*

R. Datur; et est quando perjurium non est factum cum plena voluntate, et perfecta deliberatione, quae requiritur ad peccatum grave.

Q. *Quid est mendacium?*

R. Mendacium est verbum falsum, animo audientes fallendi prolatum (1).

---

(1) Ad mendacium itaque stricte sumptum duo requiruntur; 1. ut quod profertur, pro falso habeatur ab

Q. *Quotuplicis generis est mendacium?*

R. Triplicis generis; nempe *jocosum*, *officiosum*, *et perniciosum*. Mendacium jocosum est illud, quod per jocum dicitur, et per solamen animi sive proprii sive alterius. Mendacium officiosum est illud quod per utilitatem sive propriam, sive alienam profertur. Mendacium perniciosum tandem est illud, quod in aliorum damnum profertur.

Q. *Mendacium est ne peccatum?*

R. Utique. Nam Sacrae literae communiter damnant omne mendacium. Ita in Ecclesiastico (2) habetur. *Noli velle mentiri omne mendacium*. Et Apostolus ad Ephesios scribens (3), dixit ad illos: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.*

Q. *Quale peccatum est mendacium?*

R. Vel loquimur de mendacio officioso, aut jocoso, et per se est solum veniale, quia nullum ex ipsis, per se opponitur charitati, quoniam cum ipsis nullum malum fit proximo; imo potius utile affertur, et jucundum. Vel loquimur de mendacio perni-cioso, et hoc est ex genere suo mortale, quia oppo-

---

eo qui illud profert; 2. ut proferatur animo pravo au-
sculantes fallendi. Quare, defectu primae conditionis, men-
dacium non dicit, qui aliquid falsum profert, sed quod
ipse interim verum putat; et contra mendax est ille qui
dicit quod verum est, sed quod ab ipso falsum putatur.
Defectu autem secundae conditionis neque peccant, ne-
que mendaces dicendi sunt Parentes illi, qui ut par-
vulos suas filios a planctu, vel ineptiis compescant, di-
cere solent, quod lupus foris stat ad januam; quod si
non sileant, et quiescant veniet *maminone*, et rapiet eos
etc., quia principalis ipsorum intentio non est ut illi
decipiantur, sed ut quiescant a ploratu, et ineptire de-
sinant.

(1) Cap. VII. v. 14.

(3) Cap. IV. v. 25.

nitur charitati Dei, et proximi. Opponitur fidei et Religioni si est in materia fidei et morum; opponitur justitiae, si cum ipsa imponatur falsum crimen proximo; aut si mendacio conetur aliquis proximi bona rapere. Et de hoc mendacio locutus est David cum dixit Deo (1): *Perdes omnes qui loquntur mendacium.*

Q. *Datur ne casus, in quo mendacium perniciosum est solum peccatum veniale?*

R. Datur; et est quando in ipso non intervenit perfecta deliberatio; vel materia est rei levis momenti.

Q. *In urgenti necessitate evitandi aliquod gravissimum malum, uti mors hominis, licet ne mentiri?*

R. Non licet mentiri, quia mendacium est intrinsece malum; neque facienda sunt mala ut eveniant bona.

Q. *Quaenam sunt media cum quibus in rebus magni momenti occultatur veritas, si urget Religio, justitia, vel Charitas?*

R. Juxta magnum Augustinum (2) tria sunt; scilicet 1. *silentium,* 2. *aperta significatio non volentis prodere veritatem; et* 3. *Virtus fortitudinis non mentiendi, et non manifestandi veritatem usque ad propriae vitae sacrificium (3).*

Q. *Quot subterfugia invenerint Recensiores ut veritas sine mendacio occultari posset?*

---

(1) Psal. V. v. 7.

(2) Lib. contra mendacium Cap. 10.

(3) Caeterum in proximo adjurando haec regula ab eodem S. Augustino tradita, citat. Libro Cap. 17. tenenda est: *Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit ut tali saluti consulere, nisi petendo non possit, jam se existimet non habere quod faciat, quando id reliquum esse perspexerit, quod non recte faciat.*

R. Quinque; scilicet 1. *Locutio amphibologica*, sive *aequivoca*; 2. *Restrictio*, seu *reservatio mentalis*; 3. *Usus scientiae communicabilis*, et *incommunicabilis*; 4. *Locutio materialis*; et 5. *falsiloquium* (3).

(3) *Locutio amphibologica* dicitur illa, quae varios habet sensus, et quam proferens praevidet ab audientibus accipiendam esse diverso sensu, atque ipse intelligit. Petit ex. gr. Paulus a Petro decem aureos mutuo, respondit Petrus: non habeo; intelligens se illos vel non habere hic et nunc in crumena, vel non habere ut eos det Paulo in mutuum; at non ita Paulus, qui putat, Petrum non habere pecuniam.

Restrictio mentalis est locutio, quae profertur aliud intelligendo in mente quam verba significant. Ex. gr. Caius interrogat Titium, an viderit suum filium; Titius respondet; non vidi. intelligens non vidi hac mane, in tali loco, non quod revera non viderit. Atque haec restrictio alia est pure mentalis, et alia mixte mentalis. Prima nullimode potest ab aliis percipi, cum intus in mente contineatur; secunda vero ex adjunctis circumstantiis innotescere potest.

Usus scientiae communicabilis, et incommunicabilis habetur, quando ex circumstantiis apparet, verba quae ab aliquo proferuntur accipienda esse, spectata tantum scientia illius communicabili; quia loquens, duplicem repraesentat personam; uti patet de Confessario.

Locutio materialis habetur quando verba proferuntur, quae omni sensu carent. Uti si quis interrogatus: an habeat pecuniam mutuandam, respondeat *non*, subintelligendo *dico verbum non*. *Falsiloquium* est sermo non respondens internis animi cogitationibus; quo quis utitur adversus illum, qui jus neque perfectum, neque imperfectum habet veritatem exigendi. Uti si quis interrogatus ut dicat, quo pretio rem aliquam emerit, respondeat dicens, nescio quantum, cum revera id sciat; iste talis profert falsiloquium; neque ideo mendax dici debet; quia alter neque jus perfectum, neque imperfectam habet id ab illo sciscitandi.

Q. *Quid dicendum de supradictis Recentiorum subterfugiis?*

R. Dicendum, ea esse vera mendacia; adeoque iis utendum non esse. Et sane laudatis locutionibus aliud in mente habetur, et aliud ore profertur, idque ut audientes, quod verum sit, non recte percipiant, atque hinc fallantur; adeoque, ut patet, sunt vere dicta mendacia (1).

---

(1) Merito itaque ab Innocentio XI. sequentes proscriptae fuerunt Propositiones 1. n. 26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte; sive recreationis caussa, sive quocumque alio fine jurat se non fecisse aliquid quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam, in qua fuit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* 2. n. 27. *Caussa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.* 3. n. 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

CAPUT V.

De Voto.

Q. *Quid est Votum?*

R. Votum est promissio deliberata, et spontanea facta Deo de meliori bono possibili (2).

Q. *Est ne differentia inter Votum, et Juramentum?*

R. Maxime. Nam in voto Deus venit uti promissarius, in juramento autem veluti testis. Votum debet esse semper de meliori bono, Juramentum sufficit ut sit de re bona. Votum semper fit Deo, juramentum fit etiam hominibus.

Q. *Quotuplex est Votum?*

R. Votum multiplex est; et 1. ratione materiae, votum aliud est *personale*, aliud *reale*, et aliud *mixtum*. Votum personale est illud quo obligatur aliqua humana operatio, uti recitatio Rosarii, auditio Missae etc. Votum reale est quando obligatur res aliqua, uti eleemosynam offerre: donaria Ecclesiae etc. Votum mixtum tandem est illud, quando utraque obligatur, et persona nempe, et res, ut esset si quis

(2) Votum dicitur 1. *promissio*, non *propositum*, quia promissio inducit obligationem exequendi, non vero simplex propositum. Additur 2. *deliberata*, quia votum debet esse factum cum sufficienti advertentia, qualis ad peccatum mortale requiritur. Ulterius *spontanea*, quia votum, ut sit validum debet esse immune ab omni coactione: *facta Deo*, quia omne votum ad Deum dirigitur; et licet sepe videatur vota fieri Sanctis, id intelligendum est indirecte tantum fieri; quia vota semper Deo directe fieri debent. Dicitur tandem *de meliori bono possibili*, quia bonum quod in votum promittitur debet esse melius suo opposito, et etiam possibile, aliter in vanum promitteretur, cum impossibile esset adimpleri.

emitteret votum visitandi BB. Virginem de Monte Carmelo, eique donare decem libras candelarum.

Secundo ratione modi illud faciendi, Votum dividitur in *absolutum*, *conditionale*, et *poenale*. Votum absolutum est illud, quod fit simpliciter, et absque ulla conditione; uti esset: Voveo ingredi Ordinem S. Francisci. Conditionatum vero erit quando sub aliqua conditione fit, veluti: Si Deus me liberabit ab hac tribulatione, in qua sum, jejunabo singulis sextis feriis. Tandem Votum poenale est illud quod emittitur promittendo aliquid in poenam alicujus delicti si eveniret patrari. Ita ex g. Si lusero, voveo singulis Mercurii diebus, in obsequium S. Josephi, carnes non manducare. Porro hoc jejunium poenale aliquando est duplex poenale; quatenus scilicet extenditur tam ad poenam, quam ad fugam delicti; uti, si quis diceret: voveo non amplius ludere die festo, et si lusero, voveo dare pauperibus decem carolenos in eleemosynam. Tandem dividitur votum in *simplex*, *et solemne*; *Reservatum*, et non *reservatum*. Votum simplex est illud quod fit privata voluntate cujusque; Votum vero solemne est illud quod cum solemnitate et publica attestatione emittitur in faciem Ecclesiae, et ab Ecclesia approbatur. Talia sunt vota quae emittunt Religiosi in Professione; nec non votum castitatis Ordini sacro adnexum. Votum reservatum est illud, quod a solo Summo Pontifice dispensari potest; contra vero non reservatum est illud, quod ab aliis Praelatis potest relaxari.

Q. *Est ne aliqua differentia inter praedicta vota?*

R. Maxime. Nam votum absolutum statim ac est emissum obligat; conditionatum vero non obligat nisi verificata conditione; et poenale postquam crimen est patratum. Differunt etiam votum personale, reale, et mixtum; quia personale obligat solam personam; reale obligat solam rem; mixtum vero ambo obligat, rem nempe, atque personam. Tandem inter se diffe-

runt votum solemne, et votum simplex; quia votum solemne secum fert status mutationem, non sic autem votum simplex; illud reddit nullum Matrimonium; hoc impedit solumnodo.

Q. *Quaenam requiruntur ut Votum sit validum*?

R. Haec requiruntur; hoc est ex parte actus requiritur 1. ut promissio sit, ut jam dictum est, deliberata, et spontanea, cum intentione emittendi votum. Ex parte vero materiae, seu rei quae promittitur, requiritur ut sit de meliori bono, et possibili; hoc est in voventis potestate.

Q. *Ut votum sit validum requiritur ne, ut qui illud facit, dicat aliquod verbum, vel faciat aliquod signum?*

R. Minime. Quia Votum fit Deo, qui videt cor, et noscit abscondita cordis; hinc opus non est verbis aut signis, ut nos intelligat.

Q. *Si quis emittens votum habet intentionem se obligandi sed non exequendi quod promittit, obligatur ne ad Votum?*

R. Conveniunt omnes teneri ad votum; qui enim ad aliquid faciendum se obligat, tenetur ad exequtionem illius ad quod se obligavit.

Q. *Res jam praecepta potest ne esse voti materia*?

R. Maxime; Quia cum Votum sit actus Latriae erga Deum, reddit rem illam jam praeceptam, quae in votum promittitur, magis Deo acceptam, ac erat antea.

Q. *Est ne validum Votum, quod quis facit de re quidem bona, sed per finem pravum?*

R. Si finis pravus est a parte voventis solum, et tunc votum est validum (1). Si vero finis pravus est

(1) Uti esset si quis ob vanam gloriam emitteret votum celebrandi suis expensis festum alicujus Sancti: Quia voti bonitas non desumitur a bonitate actus ipsiusmet qui votum emittit, sed a bonitate objecti de quo factum est votum.

ex parte rei, de qua emissum est votum, et tunc votum non est validum (1).

Q. *Est ne validum votum vitandi omnia peccata venialia?*

R. Minime; quia esset votum de re moraliter impossibili; atque hinc de re quae voti constitutionem non ingreditur, quod esse debet de meliori bono possibili (2).

Q. *Est ne validum votum numquam vovendi?*

R. Minime. Quia cum emittere votum sit res Deo grata, et accepta; hujusmodi votum non vovendi non esset de meliori bono; adeoque Deo non placitum.

Q. *At si quis emitteret votum non vovendi sine licentia Confessarii, esset ne validum hujusmodi votum?*

R. Maxime; quia, qui sic emitteret votum prudenter se gereret; adeoque ejus votum est validum, et magis Deo placitum.

Q. *Verum si quis emisso voto de non vovendo sine licentia Confessarii, non petita tali licentia, aliquod votum emitteret, peccaret ne, et teneretur ad hujusmodi votum?*

R. Quoad peccatum, certum est illud commit-

(1) Quia quando finis ex parte rei, quae in votum promittitur est pravus: id quod promittitur est absolute malum, quia in tali casu, qui votum emittit intelligit habere Deum suae iniquitatis cooperatorem.

(2) Et sane possibile non est homini, sine speciali Dei privilegio, et gratia singulari, omnia peccata venialia evitare, uti constat ex Consilio Tridentino Sess. XI. can. 16. Quod si legatur, aliquos magnos Sanctos fecisse votum numquam deliberate venialiter peccandi, et faciendi semper quod perfectum esse cognoscerent, dicamus oportet, non sine aliquo speciali Divino impulsu id fecisse.

tere, quia transgreditur primum votum; quoad vero obligationem secundi voti, videndum est, qualem intentionem ipse habuit in primi voti emissione. Si ipse in primo voto emittendo intentionem habuit fore nullum quodlibet votum sine Confessarii licentia emissum, et in tali casu si non reminiscendo primi voti, aliud votum emittit, hoc est nullum defectu conditionis non servatae. Si vero talem intentionem non habet, quod petere consilium a Confessorio sit veluti conditio contrahendi obligationem illud solvendi, et tunc secundum votum est validum. Idipsum dicendum si qui emittit secundum votum recordetur primi, quia in tali casu existimatur retractare primam obligationem.

Q. *Qui emisit valide votum, tenetur ne ad illud implendum?*

R. Maxime. Id clare patet ex Scripturis. In Deuteronomio enim habetur (1): *Cum votum voveris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. In Ecclesiastico (2) pariter habetur: *Si quid vovisti Deo ne moreris reddere: displicet ei infidelis et stulta promissio*. David pariter: *Vovete* ait *et reddite*.

Q. *Quale peccatum committit, qui non implet votum emissum?*

R. Si materia voti est gravis, grave peccatum committit; si vero est levis peccatum leve.

Q. *Ex qua virtute oritur obligatio adimplendi votum?*

R. Oritur ex virtute Religionis; quia votum est

(1) Cap. 23 v. 21.

(2) Eccl. Cap. V. Hinc proclare S. Aug. Epist. 127 inquit. *Quia vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet*.

actus Religionis; quo Deo debitus latriae cultus redditur.

Q. *Quale est melius, opus nempe quod fit per votum, aut quod fit sine voto?*

R. Ordinarie loquendo, melius est illud quod fit per votum, quam illud quod fit sine voto, quia cum voto detur Deo debitus Latriae cultus, proculdubio opus quod fit voto est magis Deo gratum.

Q. *Qui votum emittit, potest ne per alium illud adimplere?*

R. Si votum est personale, non potest per alium adimplere, quia votum obligat personam, adeo ut si persona fit impotens, ad votum non tenetur. Si votum est reale, et tunc potest per alium adimplere. Si tandem votum est mixtum, et in tali casu debet adimplere per seipsum; quod si impotens factus est, debet adimplere per alios ex parte rei obligatae (1).

Q. *Tenetur ne haeres adimplere vota testatoris?*

R. Si loquimur de votis personalibus, non tenetur, dummodo tamen non sit voluntarius haeres institutus cum lege, et pacto satisfaciendi illa sua Vota. Si vero loquimur de votis realibus, et in tali casu haeres tenetur ex justitia solvere illa. Nam haeres tenetur ex justitia solvere debita bonis haereditatis adnexa, ratione rei cum tali onere receptae, et propter contractum implicite factum per haereditatis acceptationem. Etenim adeundo haereditatem, sicuti adquirit omnes illius utilitates, et omnia jura defuncti, ita supra se accipit debita, et onera realia bonis adnexa

(1) Ita Titius Ex. gr. votum emisit visitandi Sacra Palestinae loca, et ibi offerre calicem argenteum, interim supervenit ei chronica infirmitas, quae illum impotentem reddit ad talem peregrinationem exequendam. Quid igitur tunc faciet? mittet ibi per alium calicem argenteum.

multo magis onus implendi votum, quod Deo debetur.

Q. *Datur ne casus, in quo haeres non teneatur ad implenda vota realia Testatoris?*

R. Datur; et est quando dicta vota Testatoris excedunt haereditatis valorem. Nam talis obligatio oritur ab haereditate; Quando igitur haec hereditas est insufficiens, non tenetur haeres solvere debita, quae vires illius excedunt.

Q. *Vota debent ne praeferri aliis legatis?*

R. Maxime; quia est prima, et principalior votorum obligatio, utpote quae Testatorem adstringebant; quod ita non est de Legatis.

Q. *Debita ex justitia debent ne votis praeferri?*

R. Maxime; quia vota, sicuti etiam legata debent satisfieri ex bonis defuncti. Bona autem defuncti non sunt alia quam illa, quae supersunt, deducto aere alieno.

Q. *Ad quid tenetur qui emittit votum pro alio?*

R. Tenetur procurare quantum potest, ut alter adimpleat votum. Hic vero alter ad nihil tenetur si in illius voti emissione consensum non praestiterit (1).

Q. *Titius votum emisit, quando tenetur illud adimplere?*

R. Si Titius non determinavit tempus adimplendi votum, tenetur illud quamprimum potest adimplere, juxta prudentis judicium; Etenim scriptum est. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Si vero Titius

(1) Hinc non obligantur filii votis parentum, qui Deo promittunt facere illos Religiosos; sed tenentur parentes omnem curam, diligentiamqne adhibere ut filii votum adimpleant, ingrediendo Religionem. Ita fecit Seraphicus Doctor S. Bonaventura, qui statim ac, a matre monitus, sensit se voto dicatum esse Deo, alacer atque promptus Claustra Minorum ingressus est.

determinavit tempus, et tunc non tenetur illud esequi, nisi tempus praefixum advenerit.

Q. *Titius non adimplevit Votum tempore statuto, tenetur ne amplius ad illud adimplendum?*

R. Si Titius praefixit tempus ad finiendam obligationem; V. g. fecit votum jejunandi in vigilia S. Antonii, et elapso eo die non jejunavit, non tenetur amplius ad tale jejunium. Si vero praefixit tempus ad sollicitandam obligationem; Ex. gr. Fecit votum infra mensem facere celebrare duas Missas ad altare BB. Virginis Mariae; et tunc, licet mensis pertranseat, adhuc tenetur ad votum.

Q. *Si aliquis dubitat de voto, tenetur ne illud adimplere?*

R. Qui dubitat an emiserit votum, nec ne, et post diligens adhibitum examen, non invenit probabilem conjecturam, se votum fecisse, et in tali casu non tenetur ad votum, quia nemo tenetur ad aliquid, quod non habet rationabile fundamentum. Qui vero dubitat de voto, et post diligens examen, invenit aeque probabile illud fecisse, quam non fecisse, et in tali casu debet adimplere votum, aliter se exponeret periculo peccandi (1).

Q. *Si quis est certus se emisisse votum, at dubitat, num voto satisfecerit, ad quid tenetur?*

R. Si facto diligenti examine, in eodem dubio persistit, tenetur satisfacere voto, quia possessio stat pro voto; et quia non satisfit debito certo, nisi cum solutione certa.

---

(1) Cum namque detur lex certa votum non violandi, per hoc ipsum, qui dubitat se votum fecisse, dubitat si omittendo illius satisfactionem, talem legem transgrediatur, et ideo peccat; qui vero agit in dubio an peccet, se peccandi periculo exponit, et revera peccat.

CAPUT III.

De causis ob quas voti obligatio cessat.

Q. *Quotuplici ex caussa votum valide emissum potest cessare?*

R. Duplici ex caussa; hoc est *per seipsum*, et 2. quando est *ab alio ablatum.*

Q. *Quando votum cessat per seipsum?*

R. Tunc votum cessat per seipsum, quando cessat materia, supra quam votum cadit, vel suffert notabilem mutationem; uti si res voto promissa, quae antea erat honesta, fit turpis; ex possibili, evadit sive physice, sive moraliter impossibilis. Nam ut homo teneatur ad exequendum quod promittit, oportet ut omnia sint in eodem statu, uti erant quando promissio facta fuit, sine ulla mutatione (1).

Q. *Quomodo votum ab alio tollitur?*

R. Tollitur 1. per *Irritationem*; 2. per *dispensationem*; et 3. per *commutationem.*

Q. *Quid est irritatio voti?*

R. Irritatio Voti est annullatio voti facta ab eo, cujus potestati dominativae persona vovens, vel materia

---

(1) Hinc si quis votum fecit audiendi sacrum in festo alicujus Sancti, et in tali die, ipse in lecto jacet graviter infirmus, non tenetur ad votum, quia in tali statu materia voti facta est physice impossibilis. Alter fecit votum peregrinationis ad Sacra Palestinae loca, sed cognoscit, illud adimplere, sine peccato, non posse, aut sine periculo vitae, vel alterius mali gravis, non tenetur ad votum, ob moralem impotentiam, in qua reperitur. Emittit alius votum offerendi cereum decem librarum ad altare Beatissimae Virginis Mariae, ut sic obtineat Patri suo infirmo sanitatem; moritur Pater; ad votum non obligatur, quia cessat caussa finalis, proxima voti, atque hinc et ipsum votum.

voti est subjecta (1).

Q. *Quotuplicis est generis voti irritatio?*

R. Duplicis est generis; *directa* scilicet, atque *indirecta*; Irritatio Voti directa est illa, quae fit a persona, cui dominationi persona vovens subjecta est. Indirecta vero est illa, quae fit ab eo, cujus potestati dominativae voti materia est subjecta.

Q. *Quaenam vota irritari possunt?*

R. Omnia vota quae non sunt in praejudicium tertii. Nemo enim potest emittere votum contra alterius jura; Neque Deus talia vota acceptat, quia sunt de re illicita.

Q. *Quinam possunt vota directe irritare?*

R. Sunt sequentes; ac 1. sunt Genitores, qui possunt irritare totaliter vota suorum filiorum impuberum, etiamsi essent de statu religioso amplectendo, vel de peculio castrensi. Cum ipsis possunt etiam omnes illi, qui vices ipsorum gerunt, uti avus, in casu, quo Pater vel mortuus esset, vel multum longe abesset; 2. Tutor, qui succedit loco Patris in istorum defectu; potest Mater, esto non sit tutrix, quia ad ipsam spectat filii cura; dummodo tamen alius non sit, qui impuberis fragilitati provideat.

Q. *Possunt ne Superiores Regulares, suorum subditorum vota directe irritare?*

R. Superiores Regulares possunt directe irritare suorum Religiosorum subditorum vota, excepto voto ingrediendi strictiorem Religionem, et illa vota quae

---

(1) Duplex potest in superioribus agnosci potestas; 1. nempe, quae dicitur *dominativa*; 2. quae dicitur *jurisdictionis*. Prima importat dominium supra illos qui subditi sunt, uti est illa Parentum in filios: Praelatorum Religiosorum in subditos; Secunda est illa quae importat solummodo directionem, uti est illa, quam habet Episcopus supra Clericos.

per Religionis Institutum emittuntur. Idem dicendum de Monacharum Abbatissis, vel Priorissis; eo quia etiam ipsae habent potestatem dominativam in alias Religiosas, quae ipsis obedientiam promittunt.

Q. *Potest ne Pater irritare vota, quae filius emisit ante pubertatem, sed adepta pubertate non ratificavit?*

R. Litigium est inter Doctores. Pro quiete tamen conscientiae, bonum est, quod etsi Pater talia vota irritaverit, adjungatur dispensatio Superioris Ecclesiastici.

Q. *Superior Regularis consensit votis, quae subditus suus Religiosus emisit; venit alter Superior, et irritat dicta vota, tenetur ne amplius talis subditus ad talia vota?*

R. Non tenetur, cum talia vota vere irritata sint; quia consensus, quem antecessor Praelatus praestitit, non ligat superiorem, qui succedit ei.

Q. *Quinam sunt, qui possunt indirecte vota irritare?*

R. Sunt qui sequuntur; videlicet I. Parentes possunt indirecte irritare vota personalia filiorum, quae rectae familiae gubernationi praejudicant (1). Nam Pater jus habet regendi filium, et opere ejus uti.

II. Domini, relate ad proprios vere servos, possunt irritare omnia ipsorum vota, quae impediunt servitium, et obsequium, quod ab illis, sibimetipsis praestandum est. Nam talia vota sunt in praejudicium haerilis potestatis.

---

(1) Quare nihil possunt Parentes, quoad vota filiorum puberum, quae potestati ipsorum nullum afferunt praejudicium; uti votum castitatis, religionis, aliquarum precum. Nam filii puberes, in ordine ad obsequium Deo debitum, jus habent disponendi de seipsis, et actionibus suis personalibus, quae rectae gubernationi familiae non adversantur.

III. Potest maritus indirecte irritare vota uxoris, quae usui Matrimonii, prolis educationi, et gubernationi familiae opponuntur; etiamsi dicta vota, ante celebrationem Matrimonii facta fuerint ab illa; quoniam jura laedunt Matrimonii. Etiam mulier potest indirecte irritare vota sui viri, quoties ipsa sunt praejudicio personae suae, aut familiae; uti esset votum servandi totaliter castitatem, vel habitum religiosum induendi (1).

IV. Superior Regularis potest indirecte vota personalia Novitiorum irritare; Haec autem irritatio dici debet potius voti suspensio. Nam si Novitius exit a Religione, et denuo ingreditur saeculum, denuo tenetur ad vota.

Q. *Est ne valida irritatio voti facta sine caussa*?

R. Est valida. Nam ut quis utatur jure suo, non requiritur caussa. Ultraquamquod vota quae a Religiosis subditis fiunt, sub hac tacita conditione semper fiunt, hoc est: *Si superior consenserit*; quia ipsi non sunt domini propriae voluntatis; nec est aliqua lex, quae obliget superiorem ad praestandum suum consensum. Culpa tamen non vacat Superior, qui sine caussa, et pro lubitu, suorum subditorum irritat vota; Esset enim id potestatis abusus contra Dei honorem, et proximi bonum.

Q. *Quid est voti dispensatio*?

R. Voti dispensatio est illa remissio voti, quae in nomine Dei, fit a legitimo superiore; ab illo nempe, qui habet jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo.

Q. *Est ne in Ecclesia facultas dispensandi vota*?

R. Maxime. Et patet ex verbis Christi Domini

---

(1) Excipiendum tamen est Votum eundi Terram Sanctam, in ipsius Terrae Sanctae subsidium. *In Cap. ex multa* 9. *Sede Voto*.

ad suos discipulos apud S. Matthaeum. (1). *Quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in Coelo.* Quae verba, ex communi sententia, intelliguntur de potestate solvendi a quocumque vinculo, propter spiritualem salutem fidelium, et recto Ecclesiae gubernio.

Q. *Quinam possunt dispensare in votis?*

R. Ordinarie id possunt omnes, et singuli Praelati, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo; quia haec potestas pertinet ad externum Ecclesiae gubernium, sicuti potestas ferendi Leges, et Censuras; quapropter non est potestas Ordinis, sed jurisdictionis (2).

Q. *Quid dicendum de Confessariis approbatis Ordinum Mendicantium?*

R. Ipsi possunt dispensare in omnibus votis, in quibus, jure ordinario, possunt dispensare Episcopi, uti expresse habetur ex pluribus Privilegiis Summorum Pontificum, ut Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII. S. Pii V. et aliorum (3).

Q. *Quaenam sunt Vota Papae reservata?*

R. Praeter vota sollemnia, sequentia vota, sunt Papae reservata; scilicet 1. *Votum perpetuae castitatis;* 2. *votum ingrediendi Religionem;* 3. *Votum peregrinationis ad haec tria loca;* nempe 1. *ad limina Apostolorum;* hoc est ad S. Petri Basilicam; 2. *Ad S. Jacobum in Compostella;* et 3. *ad Terram Sanctam.*

---

(1) Cap. Matth. XVI. v. 19.

(2) Itaque Summus Pontifex, et supremus Ecclesiae Hierarcha, et caput potest dispensare in omnibus votis omnium fidelium. Possunt Episcopi, et omnes illi qui habent jurisdictionem Episcopalem, in omnibus votis suorum subditorum propriae Dioecesis, exceptis iis quae sunt Papae reservata.

(3) Vid. P. Ferraris V. Votum. Art. III. n. 77.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ut supradicta vota sint reservata?*

R. Tres requiruntur conditiones; 1. scilicet, ut *sint certa*; (2); 2. ut sint *absoluta* (3); et 3. ut

(2) Quare reservata hujusmodi vota dicenda non sunt, si fuerint incerta, vel dubia *juris*, vel, *facti*, ideoque potest in illis dispensare Episcopus, vel etiam confessarius Regularis Ordinis Mendicantium. *Communis arg. Cap. Odia* 15. *de Reg. juris*. Et ratio est, ait P. Ferraris V. Votum art. 3. n. 82. » Quia reservatio » cum sit odiosa, et gravis, restringenda est ad ca- » sus omnino certos, plene voluntarios, et graviores; » Tum quia semper in dubiis benigniora praeferanda » sunt *l. Semper* 56. *de Reg. Juris*. Et in re dubia be- » nignorem interpretationem sequi, non minus justius, » quam tutius *l Ea quae* 192. *ff. eod.* Et in ambiguis » rebus, humaniorem sententiam, sequi oportet. *l. Si fuerit* 10. *De rebus dubiis*.

(3) Unde si talia vota fuerint conditionata, reservationi non subjacent, antequam verificetur conditio; num vero impleta conditione, reservata evadant, dissidium est inter Doctores. Volunt enim aliqui, hujusmodi vota, post impletam conditionem, evadere reservata, atque hinc a quocumque indispensabilia, praeterquam a Romano Pontifice; quia vota conditionata, sicut et quicumque alii contractus, ac promissiones factae sub conditione, evadunt absoluta, et omnino perficiuntur, ac si sine conditione facta fuissent. *l. Potior 11. ff. Qui potiores in pignore*. Volunt alii constanter, praedicta Vota, nec etiam post adimpletam conditionem, esse reservata, sed sicut prius adhuc esse dispensabilia ab Episcopo, et a Confessariis Regularium Ordinum Mendicantium. « Et ratio vere efficax » ait laudatus P. Ferraris ib. n. 86. « est Quia hujusmodi vota conditionata oriuntur » ab imperfecto consensu, utpote dependente a futuro » eventu conditionis. Adventus autem conditionis non » facit, quin revera consensus fuerit imperfectus, nec » ejus naturam mutare potest, cum nulla nova volun-

sint *perpetua ;* hoc est non facta ad tempus, sed in perpetuum, et solo amore virtutis.

Q. *Si aliquis ligatus voto non nubendi contrahit Matrimonium peccat ne, et potest debitum petere, et reddere?*

R. Contrahendo Matrimonium, peccat contra votum; at contracto Matrimonio potest petere, et redderet, etiam intra bimestre, quia impotens factus est ad votum adimplendum (1).

Q. *Quid si quis ligatus voto castitatis contrahit Matrimonium?*

R. Iste talis 1. peccat contrahendo Matrimonium; 2. Non potest petere, nec reddere debitum infra bimestre, quia potest servare votum sine injuria alterius conjugis; 3. peccat consumando; 4. potest reddere, et non petere debitum; quia mulier non potest prívari jure suo, quod habet, debitum petendi.

Q. *Possunt ne Episcopi aliquando dispensare vota reservata?*

R. Possunt, in aliqua tamen urgente necessitate; et quando cum difficultate poterit haberi recursus ad Sanctam Sedem, ad dispensationem obtinendam.

» tas accedat; adeoque cum retineant primaevam im» perfectionem, etiam adimpleta conditione, tamquam » vota imperfecte voluntaria, erunt, utpote non reser» vata, cum reservatio, tamquam odiosa, sit restringenda » ad sola Vota perfecte, et plene voluntaria. *Argum. Cap. Odia 16. de Reg. juris in* 6.

(1) Hinc si quis emitteret votum castitatis ad tempus; vel votum castitatis conjugalis; vel non nubendi, aut non petendi debitum; tale votum non esset reservatum; sicut etiam reservata non sunt omnia supradicta vota, si per metum, etiamsi levem, et non amore virtutis facta fuerint; ex metu enim gravi emissa, dispensatione non indigent, sed per se irrita sunt. *Ita Comm. Doctores Arg. Cap. Veniens 5. Qui Clerici, vel voventes.*

Q. *Titius cum voto perfecto perpetuae castitatis contraxit Matrimonium; potest ne Episcopus in tali voto dispensare, stante gravi, ac urgenti necessitate, vel ratione impossibilis recursus ad Summum Pontificem?*

R. Potest in simili Voto Episcopus dispensare (1).

Q. *Possunt ne idipsum facere Confessarii Ordinum Mendicatium, virtute suorum priailegiorum?*

R. Dissidium non leve adest inter Doctores; Caute tamen in hac, tanti momenti, materia, incedendum est, ne multiplicentur peccata, et scandela. Unde satius est, in tali necessitate, ad Episcopum recurrere pro absolutione (1).

Q. *Ut voti dispensatio sit valida requiritur ne caussa?*

R. Requiritur; quia Deus dedit facultatem dispensandi in aedificationem, non in destructionem. Propterea qui sine justa caussa dispensat in voto gravi, mortaliter peccat; quia in re gravi Religionem spectante, auctoritatem sibi arrogat, quam non habet.

---

(1) Nam « *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Cap. Quod non est 3. de Regul.* » *Jur.* Et ratio est, ait P. Ferraris. V. Votum. Art. » 3. n. 98. Quia non est praesumendum, nec ullo modo » credendum, quod Papa, in tali casu necessitatis, velit, » privative quoad Ordinarios, sibi reservare cum dispen- » dio boni communis, animarum potestatem a Christo » Domino, in bonum commune ipsorum animarum con- » cessam. Hoc enim non esset consonum fini ejusdem » reservationis, qui est ad evitanda scandala, pericula, » et peccata, non autem ut ejusdem irretiantur, et esset » contra suavem, et providam gubernationem Ecclesiae, » quae potestatem suam gerere debet non in distructio- » nem, sed in aedificationem animarum, juxta illud Apo- » stol. ad Corinth. 2. c. 10 n. 8 ».

(1) Vid. laud. Ferraris loco cit. n. 100.

Q. *Est ne differentia inter irritationem voti, et ejus dispensationem?*

R. Maxime. Nam irritatio fit a Superiore, qui habet potestatem dominativam, dispensatio autem fit ab eo qui habet jurisdictionem. Ut valida sit irritatio, non requiritur caussa; Ut valida sit dispensatio, requiritur caussa. Irritatio fit etiam contra voluntatam illius, qui fecit votum; dispensatio autem requirit voluntatis consensum in eo, cujus votum dispensatur.

Q. *Quid est commutatio voti?*

R. Commutare votum nihil aliud est, quam mutare materiam voti in aliam, sub eadem obligatione voti. Haec autem mutatio esse potest; vel in re evidenter meliori; aut in re aequali, aut in re inferiori.

Q. *Quinam possunt commutare vota?*

R. Si mutatio fit in re evidenter meliore, et tunc potest unusquisque, propria privata auctoritate, vota commutare; Quia: *Non prommissum infringit, qui in melius illud commutat.* Si mutatio fit in re aequali, et tunc, juxta communiorem Theologorum sententiam, requiritur potestas Superioris. Nam ut res pro alia Deo satisfaciat, debet adesse ipsius Dei permissio, atque hinc auctoritas Praelati, qui vices Dei gerit. Si tandem commutatio fit in re inferioris bonitatis, et tunc requiritur necessario auctoritas Superioris, quia in ea intervenit aliqua dispensatio, quae fieri non potest, nisi a potestate Ecclesiastica.

Q. *Ut sit licita, et valida voti commutatio in re minoris bonitatis, est ne necessarium, ut adsit caussa?*

R. Ex communi Doctorum sententia, est necessarium, quia in tali commutatione, ut jam dictum est, intervenit aliqua dispensatio, qua aliquid condonatur, quod Deo, ex voto debebatur.

Q. *Tempore Jubilaei potest ne confessarius commutare vota reservata?*

R. Permutare potest tria vota peregrinationis quae supra memoravimus: Ita ex communi edicto Jubilaei.

Q. *Quo modo tria vota peregrinationis commutanda sunt?*

R. In praedictis exequendis duo consideranda sunt, nempe 1. *labor itineris*; et 2. *expensae*, quae pro itinere occurrunt. Debet ergo Confessarius, laborem commutare in alios labores pios, et aequivalentes; expensas vero in alia pia opera.

Q. *Confessarius habens facultatem commutandi vota, potest ea commutare in minus?*

R. Si habet solum facultatem commutandi, non autem dispensandi, non potest. Nam commutationis nomen aequalitatem significat apud omnes; unde confessarii hujusmodi facultas non extenditur ultra ad commutationem in aequale; sub hac tamen intelligentia, quod talis aequalitas, moraliter, non vero mathematice, et scrupulose accipienda sit; ut ait Layman.

Q. *Quaenam est differentia inter commutationem, dispensationem, et irritationem voti?*

R. Haec est differentia. Irritatio voti fit a potestate dominativa, etiam sine justa caussa; et tollit omnem obligationem. Dispensatio fit ab eo, qui habet potestatem jurisdictionis; requirit justam caussam, et tollit omnem obligationem, ut supra dictum est; Commutatio vero non tollit vinculum voti, nec per consequens obligationem; sed primae voti materiae, aliam substituit. Atque hic satis de II. Decalogi Praecepto.

TRACTATUS III.

De III. decalogi praecepto.

Esto tempus nullum sit, vel momentum, in quo homo memor Dei sui esse non debeat; ipsum tota mente, toto corde, totis viribus diligere; in ore suo laudem ejus habere; atque ejus praecepta et mandata exacte observare, nihilominus quoniam homo nascitur ad laborem, et laboribus debet insistere, ut in sudore vultus sui vescatur pane, vitamque suam conservet; necesse fuit propterea, et peculiaris dies, inter alios, deligeretur, in quo ab aliis occupationibus terrenis liber, unice intentus esset ad praedicta officia erga Deum praestanda, et sic ab eo praemia sempiterna accipere mereretur: Et en Deus ipse, qui effusa qua pollet in hominem benignitate, talem Diem dignatus est designare, quod Sabbatum nominavit, dicens (1): *Memento ut Diem Sabbati sanctifices*. Quibus verbis ostendit, quantum sibi cordi esset talis Diei religiosa observantia: *In nullo quidem aliorum praeceptorum*, ut observat S. Bernandinus Senensis (2), *posuit hoc verbum*: Memento. *Praeviderat enim Deus*, sequitur laudatus Doctor, *humanae fragilitatis conditionem, et quoniam in aliis diebus totius haebdomadae mundanorum sollicitudines memorias hominum occuparent, intelligentias excederent, atque affectiones, et voluntates delectabiliter insisterent, ideo ut animarum praevideret ruinae, tutasque redderet ante casum*: Memento, ait, ut Diem Sabbati sanctifices. De hoc itaque tertio Praecepto agentes, quae Confessario juveni, necessario scienda sunt, in praesenti Tractatu, distinctis Capitibus, dilucide exponemus. Sit propterea

(1) Exodi Cap. XX. v. 8.

(2) Serm. Dom. I. Quadrag. Art. I. Cap. I. Tom. II. pag. 482.

CAPUT I.

De III. Praecepti Decalogi notione.

Q. *Quid sibi vult Sabbati nomen?*

R. Sabbati nomen *requiem* significat. Per diem ergo Sabbati intelligitur Dies festivus a Deo statutus, in quo homo ab operibus servilibus segregatus, uni Deo vacat, rebusque Divinis, in memoriam illius septimae diei a Deo benedictae, et sanctificatae, in qua ipse, postquam creavit Coelum, et Terram, et omnia quae Coeli, et Terrae ambitu continentur, *requievit ab universo opere quod patrarat* (1).

Q. *Cujus generis est hoc praeceptum Sanctificandi Sabbatum?*

R. Praeceptum hoc, ex communi Doctorum sententia, partim est naturale, et partim caeremoniale (2). Prout importat obligationem impendendi aliquem diem hebdomadae in Dei cultum, et honorem, atque in refectionem spiritualem animarum nostrarum, naturalis est (3); Prout vero datus est in memoriam requiei Do-

(1) Gen. Cap. II. v. 2.

(2) Ita Seraphicus Doctor (De III. Praecepto Serm. 4). *In mandato illo*; nempe: *Memento* etc. *continetur aliquid quod est morale, ut Deus super omnia diligatur; et aliquid quod est caeremoniale, ut figuratio diei septimae.* Idipsum, et clarius Angelicus Doctor scribit (2. 2. q. 122 a 4. ad 1.), dicens: *Praeceptum de Sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum, partim est morale, et partim caeremoniale; morale quidem quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis . . . sed in quantum in hoc praecepto determinatur speciale tempus, sic est praeceptum caeremoniale .. Unde praeceptum de sanctificatione Sabbati ponitur inter praecepta Decalogi in quantum est praeceptum morale, non in quantum est caeremoniale.*

(3) *Inest enim homini*, ait S. Thomas (2. 2. q. 122. art. 4.) *naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei neces-*

mini a rerum creatione, et est signum futurae quietis sive Christi in sepulcro, sive animarum in aeterna fruitione Dei in Coelis, est caeremoniale.

Q. *Cur Dies Sabbati in Diem Dominicum mutatus sit in Nova Lege?*

R. Non sine validissimis rationibus, quas afferunt SS. Patres, et Doctores id factum est (1); sed praecipue ob memoriam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, et adventus Spiritus Sancti super Apostolos in Sacro die Pentechostes, inquit S: Augustinus (2); cujus haec sunt verba: *Dominicum Diem Apostoli, et Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit, et in ipso Spiritus Sanctus super Apostolos descendit.*

Q. *Quonam tempore incaepit observatio Diei Dominicae, pro Die Sabbati?*

R. Vel ab ipso Apostolorum tempore, ut paulo supra innuimus ex D. Augustino in responsione antecedenti (3).

---

sariae deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, et aliis hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen rationis, tempus aliquod deputat homo.

(1) Vid. S. Thomas Opusc. IV. De decem praeceptis, de 3. praecepto. S. Bonaventura Opuscolo pariter de Decem praeceptis, Serm. 4. de 3. praecepto. Praecipue autem S. Bernandinus Senensis Tomo II. Dominicae 1. in Quadragesima Cap. II. ubi inter alia ostendit, Sabbatum in Dominicam Diem mutatum fuisse propter multitudinem privilegiorum, quae Dominica habet supra alios Dies, inter quae duodecim ipse ibi adsignat.

(2) *Sermone XXV. de Tempore.*

(3) Et revera tempore D. Pauli, uti ex Actis Apostolorum Cap. XX. v. 7. in illa Die fideles conveniebant ad Divina officia celebranda; ad Verbum Dei audiendum,

Q. *Festum Diei Dominicae est ne juris Divini, an potius Ecclesiastici?*

R. Disputant inter se Doctores; sed probabilius est, hujus Diei translationem de Sabbato in Diem Dominicam, esse juris Ecclesiastici. Nullibi enim legitur, Christum Dominum, talem translationem praecepisse, et per seipsum, Dominicae diei sanctificationem, pro die Sabbati, sanxisse (1).

Q. *Praeter Diem Dominicam sunt ne alia Festa ex praecepto observanda?*

R. Adfirmative. Inter quae alia sunt communia omnibus locis Catholicis; alia vero peculiaria aliquibus Regnis, ac Dioecesibus; Provinciis; nec non et singulis Civitatibus; unde in hac re, consuetudini Regnorum, et Dioecesum standum est.

Q. *Qua auctoritate Apostoli, atque hinc Ecclesia, alios festos dies, praeter Dominicam instituere potuerunt?*

R. Auctoritate a Domino nostro Jesu Christo accepta. Christus enim ascensurus in Caelum commisit Apostolis statuendum quidquid ad Religionis officia moderanda idoneum judicarent; dixit enim eis (2): *Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in Coelo, et quaecumque solveritis super Terram erunt*

---

et Eucharistiam sumendam; legitur quippe: *Una autem Sabbati*; hoc est primo Die post Sabbatum, *cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis. Nam una Sabbati*, ait S. Augustinus Epist. 89. ad Casulanum, *tunc appellabatur Dies, qui nunc Dominicus appellatur.*

(1) Quare non immerito S. Thomas, quem innumeri Theologi sequuntur 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4. scribit: *Dicendum quod observantia Diei Dominicae in Nova Lege succedit observantiae Sabbati, non vi praecepti Legis, sed ex institutione Ecclesiae, et consuetudine populi Christiani.*

(2) Matth. Cap. XVIII. v. 18.

soluta et in Coelo; quod ipsum peculiariter dixerat Petro, quem Caput Ecclesiae constituerat, illis verbis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (1).

Q. *Possunt ne etiam Episcopi novos dies Festos instituere*?

R. Possunt in suis respective Dioecesibus (2); accendente tamen Cleri, et Populi consensu (3).

---

(1) Matth. XVI. v. 18. 19. Et recte quidem. Nam si Judaeorum Synagoga, quae umbra erat, et figura Ecclesiae nostrae, alios dies Festos instituit, praeter eos, quos in Lege, olim observandos, praeceperat Deus, uti constat ex Libro Iudith Cap. XVI. v. 31. ex I. Machab. IV. v. 5; et II. Machab. I. v. 18. cur idipsum non potest Ecclesia, quae Synagogam auctoritate praecellit?

(2) Ex Cap. pronuntiandum *de Consecrat dist.* 3. Et sane cum novorum Festorum institutio sit potestatis et jurisdictionis Ecclesiasticae, Episcopi habentes in propriis Dioecesibus talem jurisdictionem, et potestatem, bene possunt, quoties expedire videbitur, Dies Festos novos statuere, et ipsorum observantiam praecipere, cui institutioni obtemperare tenentur Dioecesani, ut inquit Gregorius IX. *Cap. V. de feriis*: *Solemnitates, quas singuli Episcopi in suis Dioecesibus cum Clero, et populo jusserint, sollemniter venerandas*.

(3) Idque duplici potissimum de caussa; 1. quia cum per novorum Festorum institutiones interrumpi debeant politica Civitatis negotia, et artium exercitia, antequam Episcopi ad nova Festa instituenda deveniant, oportet ut videant, num Reipublicae dent incommodum. 2. Quia hujusmodi dies Festus, Magistratus consensu instituti, facilius observantur. Monet nihilominus Urbanus VIII, non debere esse hodie Episcopos, faciles ad novos dies Festos de praecepto instituendos, sed potius ab illis costituendis abstinere. Ita enim loquitur in Constit: , quae incip. *Universa* §. *3. Ne autem Dies fe-*

Q. *Quomodo obligat praeceptum dies Festos servandi?*

R. Obligat sub peccato mortali, etsi nullum adsit scandalum, aut contemtum; et oppositum est a Pontefice Innocentio XI. damnatum (1).

Q. *A quo tempore incipit obligatio dies festos servandi?*

R. Incipit a puncto mediae noctis diei antecedentis, et perdurat usque ad mediam noctem diei ipsius Festi proxime sequentis (2).

Q. *Quinam tenentur Festa observare?*

R. Tenentur omnes fideles rationis compotes, id est circa finem septennii. Ita communiter (3).

Q. *Quid hoc praecepto Festa sanctificandi fidelibus praecipitur?*

R. Hoc praecepto, quodam speciali modo, praescribitur 1. ut in exercitio operum spiritualium, ad Dei cultum, et animarum nostrarum profectum, re-

---

stos a Locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat; iidem Ordinarii in Domino monentur, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem, de caetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum Festorum studeant abstinere.

(1) Prop. n. 52. quae sequens est: *Praeceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo si absit contemptus.* Et sane si in Veteri Lege Sabbati sanctificatio adeo sub gravi obligabat, ut mortis reus esset, quicumque illud violasset, uti legitur in Exodo Cap. 31. n. 14. 15. *Custodite Sabbatum meum. Sanctum enim est vobis; qui polluerit illud morte morietur*; quare sub gravi dicendum non est obligare Diei Festi sanctificationem in nova Lege?

(2) Ita ex communi fidelium consuetudine, cui standum est.

(3) Vid. S. Alphonsus de Ligorio Lib. III. Tract. III. de tertio, et quarto Praecepto Decalogi n. 270.

ligiose ut par est, occupemur; 2. ut abstineamus ab operibus servilibus, utpote quae animum nostrum a seria rerum spiritualium occupatione abstrahunt (1). Quare praeceptum hoc partim est *affirmativum*, partim *negativum*, affirmativum, quatenus praescribit Festi sanctificationem: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*; negativum, quatenus vetat exerceri opera servilia: *Omne opus servile non facietis in eo.*

CAPUT II.

De diei Festi santificatione.

Q. *Quid significat Festum sanctificare?*

R. Sanctificare Festum, hic significat, illum Diem Divino cultui consacrare, rebusque divinis incumbere (2).

---

(1) Clara sunt quae in Levitico, quoad, hoc leguntur Cap. XXIII. v. 3. et seq. *Sex diebus facietis opus: Dies septimus; quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo . . . sed offeretis sacrificium Domino, oblationes, holocausta, et libamenta juxta ritum uniuscujusque . . . . affligetisque animas vestras in eo, quia dies propitionis est, et propitietur Dominus vester.* Neque dicat aliquis, haec de die primà sex Festorum, quae Deus Hebraeis praescripsit, praecepta; esse. Nam si haec pro prima illa die, utpote celeberrima praescripta fuerunt, quanto praescripta fuisse dicenda non sunt pro Die Sabbati, qui ut ibidem, sed v. 8. legitur, *celebrior*, et *sanctior* esse debebat?

(2) *Ea enim dicuntur sanctificari in Lege, quae Divino cultui applicantur,* ait S. Thomas 2. 2. q. 112. Unde Seraphicus Doctor. Serm. IV. de decem Praec. inquit: *Ille sanctificat, sive Sabbatismum facit, qui Deum super omnia diligit propter se, et non propter aliud. Sanctificatio enim*, ait ibidem, *est convertens animam ad Deum Sanctum, ad Deum verum, et ad Deum summe diligendum.*

Q. *Est ne opus aliquod religiosum ab Ecclesia praeceptum, quod exequi in die Festo debemus?*

R. Maxime; et est illud audiendi Missam diebus Dominicis, aliisque Festis praeceptis (1).

Q. *Sufficit ne pro santificatione diei Festus tantum audisse Missam?*

R. Non sufficit, sed requiritur praeterea ut fideles in aliis sanctis operibus exerceantur (2).

Q. *Si solius Missae auditio non sufficit ad rite diem Festum sanctificandum, cur Ecclesia solius Missae auditionem in Diebus Festis praecepit?*

R. Cum in veteri Ecclesia Missae celebratio totum ferme tempus matutinum occuparet, quippe quod cum illius celebratione conjuncta erat Divini Officii recitatio, concio ad Populum, Sacramentorum usus etc., poterat tunc solius Missae auditio ad Diei Festus sanctificationem sufficere. At hisce nostris temporibus, in quibus Missa vix horae triente absolvitur, certe solius Missae auditio sufficiens dici nequit ad integri Diei Festus Sanctificationem. Caeterum licet Ecclesia solam Missae auditionem in diebus Dominicis, et aliis Festis, fidelibus praeceperit, nunquam tamen declaravit per solam Missae auditionem dies Festos sanctificari, imo oppositum docuit (3).

Q. *Diebus Festis debent ne fideles in Ecclesiam convenire, et ibi orationi peculiariter incumbere?*

---

(1) Sed de hoc in III. P. hujus Op: ubi de I. Ecclesiae Praecepto.

(2) *Unde*, scribit Cardinalis Cajetanus in Summa V. *Festum*: *Qui post Missam Festos Dies vane consummunt ludendo etc. licet ex ipsis operibus, utpote non servilibus, mortale non incurrant; ex omissione tamen divini cultus, ad quem Festa instituta sunt, graviter peccant, quia non reddunt quae sunt Dei Deo.*

(3) Vid. de Fulgure Inst. Theol. Tomo VIII. Lib. XII. Prop. V. pag. 127.

R. *Affirm*: Nam licet juxta Domini oraculum (1): *Oportet semper orare, et numquam deficere*, quia omni momento, atque vitae instanti Dei auxilio indigemus, ut a malis liberemur, et bona faciamus, in die autem Festo id peculiariter fieri debet (2); et quidem conveniendo in Ecclesiam, sive Templum, quod est locus a Deo specialiter electus ad exaudiendum Orationes fidelium, et ad propitium se peccatis nostris reddendum (3).

Q. *Tenetur ne populus in die Festo ad Ecclesiam se conferre ad concionem audiendam; et divinis Officiis assistendum?*

R. Affirmative; esto non desint, qui oppositum sentiant (4).

---

(1) Lucae XVIII. v. 1.

(2) Ita suadet ratio diei Festi institutionis, et Patres docuerunt. Hinc Nicolaus I. *Resp. ad Consul. Bulg. Cap. X. et XI*; S. Gregorii Magni verba usurpans, inquit: *Dominica Die a labore terreno cessandum, atque omnimodo orationibus insistendum est, ut quod negligenter per sex dies agitur, per Diem Resurrectionis Dominicae precibus expietur.* Idque adeo verum est, ut dixerit Augustinus Serm. 270. quod si quis ad orandum in Ecclesia se conferre non potest, saltem in domo sua oret. En ejus verba: *Observemus Diem Dominicum fratres, et sanctificemus illum. . . . Veniat ergo cuicumque possibile est ad vespertinam, atque nocturnam celebrationem, et oret ibi in conventu Ecclesiae pro peccatis Deum. Qui vero hoc non possit, saltem in domo sua oret.*

(3) Ita enim dixit Deus ipse Salomoni, postquam ille aedificaverat Templum nomini ejus, Paralip. Lib. 2 Cap. 7. *Elegi et sanctificavi locum istum mihi in domum sacrificii... Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.*

(4) Patet id ex variis Conciliis. Et 1. Concilium Mediolanense III. statuit: *Ut ii Dies, Festi nempe,*

Q. *Quale peccatum committit, qui cum possit, Concioni, et Vesperis, in die Dominico non interest?*

R. Ad summum veniale peccatum; quippe nulla est Ecclesiastica lex, vel consuetudo, ex quibus gravis culpa in eo argui possit.

Q. *An qui in peccato mortali versantur, teneantur diebus Festis maxime elicere saltem contritionis actum?*

R. Teneri. Nam si dies Festi ideo instituti sunt, ut quiescendo ab operibus servilibus, Deum impensius colamus, et animarum nostrarum saluti consulamus,

---

omni pietate, et religiosius colantur, haec crebro populum Parochi, et concionatores admoneant, atque hortentur . . . ut concionem mane . . . audiant. Ut divinis vesperarum praesertim, Officiis praesentes pie, religioseque adsint. II. Concilium Aquense Anno 1585. eod. tit. haec habet: *doceantur populi . . . praesertim ut praeter Missam; quae sine gravissimi peccati poena praetermitti non potest, praeter Vesperas, quibus fidelem, quemque, nisi impeditum, interesse maxime convenit, in doctrinae Christianae rudimentis omnes tam mares, quam faeminae, tam viri, quam pueri, vel perdiscendis, si illa ignorent, vel aliis perdocendis versentur* III. Concilium Remense anno 1583. tit. de dieb. Fest. ita statuit. *Diebus Dominicis, et Festis in suas Paraecias populus conveniat, et Missae, Concioni, ac Vesperis intersit.* Idipsum patet ex Concilio Tridentino, in quo Sess. XXIV. de Reform. Cap. IV. legitur: *Moneat Episcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiae, suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Ex quibus omnibus, et aliis hujusmodi auctoritatibus licet inferant nonnulli, peccare qui aliter faciunt; Communiter tamen docent Doctores, de consilio esse, non de praecepto rigoroso. Vide Anacletum Tract. X. de Praecep. Eccl. Dist. 1. q. 1. Concl. 3. n. 5. et seq.

quomodo id fiet ab eo qui peccato mortali irretitus, atque hinc Dei hostis, saltem per contritionis actum se Deo reconciliare non curat? Ejus cultus Deo potius execrabilis erit, et oratio ejus fiet in peccatum (1).

Q. *Debent ne fideles in Dominicis, aliisque Festis diebus praesertim eleemosynas copiosius pauperibus elargiri?*

R. Affirmative. Nam eleemosyna est opus misericordiae Deo ita acceptum, ut ipsa se honoratum ab homine dicat, qui de sua substantia, subvenit egeno, et ita quidem, ut qui dat pauperi propter Dei amorem foenerari dicatur Domino. Si ergo diebus Festis impensius Deum colere debemus; et ab eo peccatorum remissionem operibus bonis impetrare, procul dubio eleemosynas, plus solito, diebus Festis, pauperibus erogare debemus (2).

---

(1) Aliunde si illum de peccatis poenitebit, et contritionis actum eliciet, Deo offeret gratum sacrificium; legitur quippe in Psalmo 50. v. 18. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

(2) *Eleemosyna enim a morte liberat, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.* Tobiae, Cap. XII. v. 1 Quare vel ab ipso Apostolorum tempore solitum fuit die Dominico eleemosynarum collectas facere pro pauperibus. Ita enim loquitur D. Paulus I. Corinth. XVI. v. 1. *Per unam Sabbati, unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod sibi placuerit, et non cum venero, tunc collectae fiant. Unam Sabbatorum*, subdit S. Joannes Chrisostomus Serm. de Eleem. n. 3. *Dominicam vocavit. Et cur talem Diem oblationi deputat? . . . . Non temere profecto, nec sine caussa; sed quod vellet a temporis opportunitate juvari, ut majus offerentibus studium accederet . . . . Et quid, dices; opportunitatis habet tempus; ut quis persuadeatur eleemosynam dare? Quod hac Die ab omni opere cessetur, quod hilarior animus ex*

Q. *Diebus Festis debet ne fidelis facere actus Fidei, Spei, et Charitatis?*

R. Cum Deus in diebus festivis preacipue coli debeat; cumque ipse actibus Fidei, Spei, et Charitatis maxime colatur, omnino conveniens est, ut in diebus festivis in his actibus fidelis, presertim exerceatur. At nullum extat de hoc praeceptum, ut peccare dici possit, qui tales actus omitteret.

Q. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum illis, qui Diebus Festis, sola auditione Missae contenti, totum diem, vel in occupationibus, alioquin licitis, distrahuntur, vel in otio marcescunt, quin aliquid aliud spirituale opus ad Dei cultum, et animarum suarum profectum perficiant?*

R. Ut patet ex antea dictis, 1. prudenter se gerere debet neque facile devenire ad aliquem ex ipsis laethalis culpae reum asserendum (1). 2. mo-

---

quiete reddatur, quodque omnino maximum est, quod illo Die innumeris fruamur bonis. Hac quippe Die soluta est mors, extincta maledictio, deletum peccatum, portae inferi confractae, vinctus diabolus, diuturnum bellum diremtum, reconciliati Deo homines, nostrumque genus ad pristinam, imo potius ad longe majorem nobilitatem rediit etc. Hinc S. Thomas Opus. IV. Dei Decem Praec. de 3. praec. loquens ait, quod fidelis debet in Die Festo *res suas sanctificare, et hoc dando eleemosynas . . . in duplo magis quam in aliis diebus, quia tunc est communis laetitia.*

(1) Esto enim non desint, qui hujusmodi fideles peccati reos faciant; Unde S. Antoninus P. II. Tit. 19. Cap. 7. §. 4. inquit: *abstinere ab operibus servilibus est in praecepto: non vacare Deo pro majori parte diei tamen peccatum est*; Imo S. Joannes Chrysostomus videtur asserere, non interesse ad Ecclesiae conventum, ut sanctis operibus quis occupetur, esse grave in persona divitum; ait quippe in Sermone ad eos, qui conventum Ecclesiae deseruerunt n. 2. *Est illud quidem grave*

neat potius illos, in maximo peccandi periculo versari, nimis otio indulgentes (1); 3. suadeat, ut Ecclesiae Conventus frequentent (2); 4. ut quantum fieri possit, studeant operibus spiritualibus incumbere (3); 5. excitet ad audiendas conciones, sacrasque instructiones, quae praecipue diebus Festis,

---

quod non intersint pauperes Ecclesiae conventui; *sed non ita tam grave, ut quod divites non intersint*; atque ut de aliis sileam, Cardinalis Cajetanus, ut supra diximus, asseruit, quod graviter peccant; communiter tamen oppositum tuetur; et si quae culpa in illis agnoscitur, vix excedere peccati venialis limites reputatur. Vid. de Fulgure Inst. Theol. Lib. XII. Cap. VI. n. 117.

(1) *Multam* namque *malitiam docuit otiositas*. Eccl. Cap. 33. v. 29. Unde admodum difficile est, ne dicam impossibile, ut quis in otio sit, quin in aliquam culpam non cadat; *Anima* namque, *quae in otio est*, ajebat Chrysost. Hom. 42. in Acta Apost. n. 4. *ad peccata proclivis fertur*: *nam arrogantia vicina est, voluptati, vanagloriae, invidiae, insidiis, sycophansiis*.

(2) Nam: *Quid jucundius*, ajebat Chysost. Serm, ad eos qui Ecclesiae *conventum* deseruerunt n. 2. *quaeso quam hic* (hoc est in Ecclesia) *versari*? *Si enim totos Dies transigere necesse esset, quid praeclarius? Quid tutius, ubi tot sunt fratres, ubi Spiritus Sanctus, ubi medius Jesus, et Pater ejus? qualem aliam talem congregationem quaeris? qualem alium senatum? Qualem conventum? Tot bonis referta est mensa, tot lectio Scripturae, tot benedictiones, tot preces, tot ipsi congressus et tu aliam conversationem, et colloquia spectas? Quenam autem venia dignus censebere?*

(3) Quae enim insania haec est consumere sex integros continuos dies in laboribus ad procurandum corpori necessaria; et nequidem una die operibus spiritualibus Deum colere, et animae nobilissimae consulere? Est quidem Dies Festus a Deo datus ad quietem; at non ut homo eo uteretur ad reficiendas corporis vires, sed potius ad animae negotia pertractanda.

sive a Parochis, sive ab aliis concionatoribus haberi solent (1).

CAPUT III.

De iis, quae Festis diebus fieri prohibentur.

Q. *Quotuplex operum genus distingui potest in homine?*

R. Triplex; Nempe 1. Opus *servile*; 2. Opus *liberale*; et 3. Opus *commune*. Primum est illud quod a servis vulgo fieri solet, unde et *servile* dicitur (2); secundum est illud, quod principaliter dirigi solet ad animum, mentemque instruendam, et vulgo exerceri solet a liberis, et Nobilibus (3); Tertium tandem est illud, quod servis aeque atque liberis competit (4).

Q. *Quotuplex est opus servile?*

R. Ex D. Thoma (5), triplex opus servile distinguitur; nempe 1. *Religiosum*; 2. *Vitiosum*; et 3. *Humanum*, sive mechanicum. Opus religiosum

---

(1) Siquidem non audire verbum Dei signum est reprobation.s, et quod homo non sit ex Deo. *Qui enim ex Deo* est, inquit Christus Dominus Joan. VIII. v. 7 *verba Dei audit.* Ultraquamquod, cum concionibus vitia arguantur, bona insinuentur, et quae ad Dei amorem, et animarum salutem conducunt explicentur, nemo non videt quanto bono se privent, qui conciones audire recusant.

(3) Tale communiter censetur fodere terram, palatia aedificare, statuas sculpere, et universim, omnia mechanicarum artium opera.

(2) Uti scribere, legere, canere, consilia dare; alios docere etc. hujusmodi.

(4) Veluti iter agere, venari, piscari, ludere etc.

(5) 2. 2. q. 122. art. 4 ad 3.

dicitur illud, quod in Dei, vel in Ecclesiae suae famulatum exercetur; vitiosum est illud, quo homo peccato inservit, et Diabolo famulatum praestat; Commune vero est illud, quo homo homini servit.

Q. *Quale Opus servile, ex dictis, expresse prohibetur praecepto abstinendi ab operibus servilibus die Festo?*

R. Opus servile, quod dicitur humanum, sive mechanicum, et a servis fieri solet.

Q. *An peccatum mortale, die Festo commissum, non solum sit gravius peccato aliis diebus patrato, sed etiam variet speciem, in confessione explicandam?*

R. Quod peccatum die Festo commissum gravius sit peccato diebus ferialibus patrato, nemini dubium esse puto (1); an vero novam malitiae speciem induat, dissidium est inter Doctores; sed probabilius tenendum esse existimo, peccatum ejusmodi, novam mortalis malitiae speciem contra Religionem induere. Nam praecepto affirmativo tenemur, diem Festum sanctificare, hoc est, ut jam diximus, illum in Dei cultum et honorem, nec non in animarum nostrarum profectum impendere; Atqui peccatum mortale tali praecepto diametraliter opponitur; ipso namque Deus offenditur, atque dehonoratur, anima rea fit laesae Divinae majestatis, expoliatur omnibus suis praeclarissimis dotibus ac bonis, quibus in gratia existens, affluebat; Igitur etc. (2). Deinde prohi-

---

(1) Et ratio est, ut scribit S. Thomas 2. 2. q. 122 art. 4. *Quia magis homo impeditur a rebus divinis, per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc praeceptum agit qui peccat in die Festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit.*

(2) Audiendus hic est S. Antoninus, qui II. P. tit. 9. Cap. 7. ita concludit: *Peccatum ergo mortale commissum Die Festo est multo gravius, quam alia die i-*

bentur die Festo opera servilia, licet alias bona, utilia, necessaria, atque permissa; et quare? Quia sunt impedimento fidelibus pro diei Festus sanctificatione, et ad spiritualia applicatione; quomodo igitur non peculiariter prohibitum dicere debemus peccatum, quod sua natura est infinitum malum, ut ait Augustinus, semper et in omnibus severe a Deo, et sub gravissimis poenis prohibitum?

Q. *Quomodo peccat, qui die Festo opera vere servilia exercet?*

R. Peccat mortaliter sive id exerceat propter pretium, quod ex illis retrahit, sive tantum propter oblectamentum, et recreationis gratia. Nam praeceptum abstinendi ab operibus servilibus die Festo, ex

---

dem peccatorum ratione Festi; nam ultra propriam deformitatem puta furti, vel fornicationis, et hujusmodi habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri, qua Festum violatur. Unde talis, ut inquit Nicolaus de Lira supra Exod. Cap. 20. *non solum agit contra unum praeceptum*: Non moechaberis, *aut illud*: Non furtum facies, *sed etiam contra illud de Sanctificatione Sabbati.* Quare Seraphicus Doctor Opusc. quod dicitur Confessionale de Circumst. II. p. Cap. 20. docet, hanc circumstantiam in Confessione aperiendam esse. Ad tollendos nihilominus scrupolos, qui ex laudata doctrina insurgere possent, et hinc deturbare fidelium paenitentium conscientias, addit P. Concina: » Neque » vexandi sunt fideles, quod in praeteritis confessioni- » bus hanc temporis sacri circumstantiam omiserint, quo- » niam in iis sumus, in quibus ignorantia excusare va- » leat . . . Satis enim mihi esse videtur, si dum alia » confitentur peccata, simul exponant, se frequenter » diebus Festis peccasse, nec debitum confitendi circum- » stantiam hanc agnovisse. Quapropter nunc se de om- » nibus confiteri, et de omnibus peccatis, diebus Festis » perpetratis, se summopere dolere.

communi fidelium sensu, et praxi obligat sub gravi (1).

Q. *Licet ne pingere die festo?*

R. Dissidium est inter Theologos; sed probabilius est, licere, cum talis actio liberalis potius sit, vel saltem communis, quae diebus Festis vetita non est, maxime si ad animi solamen, et sine magno apparatu fiat, hoc est colores miscendo, tabulas adornando etc. (2)

Q. *Num licitum sit venari, aucupari, atque piscari die Festo?*

R. Duplex circa hoc circumfertur sententia. Una asserit talia, die Festo non licere, quia inter opera servilia ea adnumerantur, maxime si fiant ob questum; Alia, quia negat ea esse opera servilia, tenet licita esse. Verum fateri cogimur, ea non videri illicita, dummodo fiant cum moderamine, sine magno labore, et tempus notabile in iis non insumatur, ut nihil, vel parum temporis relinquatur ad diem Festum, juxta Dei fines, sanctificandum (3).

Q. *Est ne licitum diebus Festis iter facere pedibus, equo, navi, curru, lectica ab hominibus delata?*

R. *Affirmative.* Nam iter facere non est opus servile; et propter introductam consuetudinem, viatores excusantur (4).

---

(1) Hoc autem intelligendum est, dummodo talia opera vel sine rationabili caussa, vel aliqua legitima consuetudine excusante exerceantur, ut infra dicetur.

(2) Vid. S. Alphonsus de Ligorio Lib. III. Tract. 3. de 3. et quarto Praecepto Decal. Dub. 1. numero 280.

(3) Consul. Laud. S. Alphonsus ibid. n. 283. et Elem. Theol. Practicae de Observ. festor. Cap. I. §. 2. Prop. 1. q. 2.

(4) Quoad usum lecticae ab hominibus delatae, de quo maxime dubitari posset, esto alii adfirment licere, alii negent, recte subjungit S. Alphonsus de Ligorio,

Q. *Et ne opus servile ducere jumenta, currus, vel navigium onustum mercibus?*

R. Affirmative. Quod si tamen talia itinera ante diem Festum incaepta sint, eorum continuatio permitti potest; dummodo publica utilitas, vel evitatio damni, quod alias sequeretur, id suadent.

Q. *Est ne licitum diebus Festis molere?*

R. Si mola agitur aqua, vel vento, licitum est; si vero agitur bestiis, et in ipsa requiritur magnus hominum labor, atque occupatio, et tunc non est licitum (1).

Q. *Docere, scribere, ludere, canere etc. si fiant ab lucrum, sunt ne servilia?*

R. Negative; Nam intentio operantis nequit mutare opus, ut de liberali evadat servile, quoties natura sua liberale est.

Q. *An artes sculptoria, et typographica sint servilia?*

R. Quoad artem sculptoriam, nulli dubium est, quod sit mechanica, atque hinc servilis; quoad artem vero typographicam, ajunt Doctores, posse excusari illos, qui post expleta ea quae ex praecepto Ecclesiae adimplenda sunt die Festo, collocant characteres, at imprimere non est eis licitum, quia inter opera servilia computatur.

Q. *Choreae, ludi scenici, idque genus similia sunt ne diebus Festis prohibita?*

---

ibid. n. 275. *Sed in hoc dico attendendam esse consuetudinem locorum, quae jam viget in Urbe Neapolis, et excusat a culpa, ut bene advertit* Mazzotta de 3. Praec. C. 1. §.

(1) *Ex qua doctrina inferunt*, ait S. Alphonsus de Ligorio, loco super: citato; idque ex Tamb. n. 14, et Croix n. 578, *quando cooperatio, et applicatio hominis est modica, non sit illicitum, saltem graviter, etiam cum bestiis molere.*

R. Si spectentur Leges Canonicae, omnia supradicta sunt prohibita (1). Si spectentur abusus, et consuetudines; nihil magis videtur esse communiter, si non permissum, saltem toleratum (2). Sed dicen-

(1) Innumera sunt, quae hic afferri possent, sive Conciliorum, sive Patrum, sive Theologorum sententiae, quae id confirmant. Pauca sufficiant. Concilium Burdigalense anni 1583. Can. 6. *Magistratus*, ait, *adhortamur, ut quod in ipsis maxime situm est, sacros Dies illos, ac solemnes pie, sancteque celebrari curent, tabernas aperiri etc. . . prohibent.* Et clarius Concilium Mediolanense An. 1573. de Festor. Observat. a. 1. inquit: *Festis diebus, saltem horis, quibus divina celebrantur officia, interdicimus ne saltationes, tripudia, choreae ducantur, aut fiant: ne item comediae, ludi scenici, vel theatrales, hastiludia, et alia cujusvis generis spectacula agantur.* Similia praecipit Concil. Bituricense An. 1588 tit. 6 can. 6.

(2) Revera nulla ferme est Civitas, nullum Oppidum vel Municipium, inter ipsos Christianos, reperire est, in quo haec aeffrenata licentia non vigeat, diebus praesertim Festis, choreas nempe ducere, ludos scenicos, comedias etc. hujusmodi exercere, quo animarum, et etiam corporum detrimento, neminem puto ignorare posse. Sed dicet aliquis: talia si esset mala, et prohibita diebus Festis, Magistratus Catholicus prohiberet. Sed non prohibet; At nec etiam approbat, repono; quod si tolerat, id est quia Civilis prudentia ad majora mala vitanda multa tolerare cogat; quae tamen tolerantia non facit ut illa licita evadant. Ad rem Bossuetius Opusc. adversus Comedias §. 30 « Neque credendum est, inquit, aliquid propterea fieri licitum, quod ob duritiam humani cordis toleratur: aut Deum judicare instar hominum, ut quemadmodum politica ratio multa permittere cogit Supremos Civitatis Moderatores, ita Deus quoque haec eadem connivendo, indulgendoque praetereat ».

dum est, ea esse prohibita (1), modo non agatur de quibusdam choreis, et ludis, qui recreationis honestae caussa a personis timoratae conscientiae, cum debitis cautelis, fieri solent, a quibus omnino exulant scandala, et peccandi occasiones (2).

Q. *Opera corporalia, quae proxime ad Divinum cultum excitant sunt ne licita die Festo?*

R. Affirmative. Nam ideo diebus Festivis a servilibus operibus abstinemus, quia illa impediunt nos a Dei cultu; sed supradicta opera ad Dei cultum promovendum conducunt; unde et latriae opera dici possunt; Ergo etc. (3)

---

(1) Quippe quae seminaria sunt vitiorum, atque illecebrarum, et ita quidem, ut qui iis delectantur, Sanctorum Patrum sententia, non Dei Festum, sed Diaboli agere dicendi sunt: Vid. P. Vivien Tertull. praedic. T. I. v. Bacchalia Conc. II.

(2) Vid. S. Thomas in Cap. III. Isaiae. Bossuet, Opusc. ut supra Cap. 35. Advertant hic omnes, Diem Festum esse quidem Diem laetitiae, et gaudii; at non gaudii mundani, et laetitiae mundanae, sed spiritualis, et propriae justorum; scilicet in Domino, ad quam invitabat Paulus Philippenses, dicens eis Epist. Cap. IV. v. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est: Nihil solliciti sitis: sed omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Deum.* Meminerint fideles quod inquit Chrysostomus Serm. 1. de S. Pentec., *Conscientiam* nempe *mundam Festum efficere. Nihil enim aliud est Festum quam laetitia; spiritualem vero laetitiam nihil aliud gignit, quam conscientia bonorum operum.*

(3) Quare apud Mattheum Cap. XII. v. 5. legitur: *Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant*, hoc est corporaliter in Sabbato operantur, *et sine crimine sunt.* Vid. S. Thomas 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

Q. *Opera illa mechanica, quae remote ad cultum Dei spectant, possunt ne diebus Festis exequi?*

R. Sine rationabili, et justa caussa exequi nequeunt (1).

Q. *Quale peccatum committeret, qui talia, sine rationabili caussa, diebus Festis exequeretur?*

R. Variant Doctores; alii namque dicunt peccare mortaliter, alii venialiter. Verum quale peccatum proprie committat, nonnisi ex diversis circumstantiis, quae dari possunt, colligi potest.

Q. *Quid dicendum de illis operibus, quae tantum ex intentione operantis, in Ecclesiae utilitatem cedunt?*

R. Haec omnino servilia sunt, adeoque prohibita (2).

Q. *Possunt ne diebus Festis fieri Mercatus, ac Nundinae, sive sint peculiares, sive universales; nec non actus mercandi?*

R. Esto haec omnia communi jure prohibeantur (3); tamen quoad hanc rem, locorum consuetudini, nunc standum est, uti docent Doctores (4).

---

(1) Quare non licet diebus Festis, nulla justa causa cogente, ornare tapetibus Templa, artificiosas, atque magnificas moles ad Eucharistiam, vel imaginem alicujus Sancti exponendam construere, condere sepulchra, praesepia etc.

(2) Hinc licitum non est diebus Festis Templa aedificare, Ecclesiae parietes dealbare, serta pro Altaris ornamento conficere, mappas, et corporalia lavare, Ecclesiae agros colere, etc.

(3) Consul. Besombes T. 1. de III. Decal. Praec. Cap. 2.

(4) Unde scribit S. Alphonsus de Ligorio Lib. III. Tract. 3. de 3. Praec. dnb. 1. n. 286. *Nundinae universales ex consuetudine jam permittuntur, et alicubi etiam*

Q. *Diebus Festis prohibitus ne est omnis strepitus judicialis?*

R. Affirmative; Ita ut actus judiciales iis diebus habiti, non solum illiciti sunt, verum etiam invalidi; idque patet ex variis Conciliorum definitionibus (1); et expresse habetur in Lege Canonica (2).

Q. *Prohibentur ne hodie in Ecclesia omnia illa servilia, quae Judaeis pro Sabbati sanctificatione erant vetita?*

R. Negative. Nam multa hodie diebus Festis fieri permittuntur, quae in Sabbatis vetita erant Judaeis (3).

---

nundinae particulares in quavis hebdomada . . . Emtiones autem mercium certe sunt vetitae jure Canonico. . . At ubi est contraria consuetudo, excusantur. Hinc diebus Festis plura vendi permittuntur, veluti carnes, panis, fructus, vinum, et alia hujusmodi.

(1) Vid. Besombes supra laud. cit. loco.

(2) Presertim *Cap.* Conquestus 5. *de Feriis*, in quo habetur: *debet judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti* Cons. Elem. Theol. Pract. T. 2. de observantia Festorum Cap. 1. §. 5.

(3) Hinc hodie permittitur conficere panes, coquere cibos, lectos componere, domum scopis mundare, et alia mere necessaria, quae olim prohibita erant Judaeis; unde, et die antecedenti, ea parare opus erat, qui Dies propterea Parasceves dicebatur.

CAPUT IV.

De causis excusantibus ab observatione abstinendi ab operibus servilibus die Festo.

Q. *Dantur ne caussae excusautes ab observatione abstinendi ob operibus servilibus die Festo?*

R. Ex communi Doctorum sententia, dantur. Nam praeceptum hujusmodi, utpote Ecclesiasticum, est, non obligat cum gravi damno, atque incommodo.

Q. *Quaenam sunt hujusmodi caussae excusantes?*

R. Sunt sequentes; nempe 1. *Consuetudo approbata*; 2. *Pietas*; 3. *Charitas*; 4. *Necessitas*; 5. *Utilitas*; 6. *Parvitas materiae*; 7. *Dispensatio*.

Q. *Quinam excusantur, ratione consuetudinis approbatae?*

R. Excusantur illi, qui artificiose praeparant cibos, licet non ad necessitatem, sed ad voluptatem inservientes; item qui emunt, aut vendunt res parvi momenti; 2. excusantur qui in area versant, aut separant segetes, et hortulani, qui rigant olera; 3. Excurantur barbitonsores, praesertim si ex necessitate rusticorum, artem suam exercent; constat namque, ut plurimum evenire, quod rustici in Festis tantum diebus possunt tonderi.

Q. *Quinam excusantur ab operibus servilibus in Die Festo, ratione pietatis?*

R. Excusantur illi, qui opera servilia ad Dei cultum proxime spectantia faciunt; ut gestare Crucem in processionibus, pulsare campanas, et organa, circumferre imagines (1) etc. Item ratione pietatis erga pro-

---

(1) Ita Doctores omnes, et expresse habetur ex Catech. Trid. Conc. de III. Praec. n. 32. Ubi legitur *Ea opera non vetantur, quae ad cultum Dei attinent,*

ximum excusantur, qui jus dicunt pro caussis pauperum, pro detentis in carceribus, pro curatoribus, ac tutoribus dandis. Excusantur tandem qui laborant, vel ut subveniant pauperi ita indigenti, ut nisi hoc medio ei subveniatur, non posset aliter ejus substentationi occurri; vel ut Ecclesiae indigenti de necessariis ornamentis provideant.

Q. *Quomodo excusat Charitas erga proximum?*

R. Excusat hoc pacto, quod die Festo liceat sepelire mortuos, operire nudos, curare infirmos. Hinc licitum est Pharmacopolis, Medicis, Chirurgis conficere, vendere, et prebere medicamenta ea Die pro infirmis necessaria; et alia his similia.

Q. *Quomodo ex necessitate excusantur fideles ab operibus servilibus in Die Festo?*

R. Excusantur in necessitate tam propria, quam aliena; tam animae quam corporis, si nimirum sine gravi incommodo, aut detrimento aliquid omitti non potest. Hinc excusantur pauperes, qui audita Missa, clam et sine scandalo, domi se continentes, laborant, quando non possunt aliter se, suamque familiam substentare; vel etiam reficiunt suas vestes, cum id aliis diebus non possint; 2. Excusantur servi et ancillae, aliaeque personae subjectae, quae Die Festo a Dominis laborare coguntur, quibus contradicere non audent: vel timent ab eis dimitti cum gravi ipsorum detrimento. 3. Excusantur instauratores pontium, viarum publicarum etc., quae moram non patiuntur; 4. Exusantur Piscatores alecum, thynnorum, et similium piscium, qui brevi tempore excurrunt. 5. Excusantur Naucleri, qui a ventis pendent; 6. Sartores, qui quas vestes profestis diebus perficere non potuerunt, eas diebus Festis absolvunt; quando tamen

---

etiamsi servilia sint, ut Altaria instruere, Templa alicujus Festi diei caussa ornare, et reliqua hujusmodi.

ob solemnitatem nuptiarum, vel exequiarum, earum vestium usus urgeat, ita ut ex earum defectu scandala et rixae orirentur. Non excusantur vero a peccato, si propria culpa in talem necessitatem se iniecerint; 7. Excusantur coquentes vitrum, saponem, calcem, tegulas, ollas, et similia, quarum actio plures dies requirit, si in opere jam inchoato, diebus Festis continuent, quia ex interruptione, grave, et inevitabile damnum sequeretur; 8. Excusantur agricolae, qui tempore messis, et vindemiae segetes metunt, et triturant; vel fructus, aut uvas colligunt, foenumque, ventorum grandinis et pluviarum subducunt periculo (1).

Q. *Quomodo excusat utilitas?*

R. Excusat utilitas publica ad communem commodum, et splendorem (2).

Q. *Est ne licitum Die Festo laborare ad vitandum otium?*

R. Cum multa fieri possint, et debeant Die Festo, ad illum, ut par est sanctificandum, videtur absurdum inquirere, num ad vitandum otium liceat, tali die laborare. Dico tamen id licitum non esse, nisi in solo casu, quo quis otiando, tentationibus foret subjectus, quas, nonnisi occupatione in labore servili posset superare.

Q. *In praecepto quo Die Festo prohibentur opera servilia, datur ne parvitas materiae?*

R. Affirmative. Nam potest quis leviter praeceptum violare, et sic leviter peccabit.

---

(1) Etenim ut ait Angelicus Doctor 2. 2. q. 122. art. 4. ad 5. *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum; non violat Sabbatum*. Consul. Auct. Elm. Theolog. Practicae T. II. de Obs. Festor. C. I. §. 6. q. 1.

(2) Hinc licet in ortu, vel adventu Principis, vel ad celebrandam victoriam laborare ut perficiantur theatra, vestes etc.

Q. *Quantum temporis spatium requiritur ut hujus praecepti transgressio, sit leve, vel grave peccatum?*

R. Si agitur de judicio forensi, et tunc gravitas materiae, non tantum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur. Hinc brevis agitatio litis in re magni momenti, et prolatio sententiae est gravior culpa. Si vero agitur de operibus servilibus, duarum horarum integrarum in illis occupatio, absolute loquendo, est materia gravis; et peccatum mortale; materia vero levis quoties talis occupatio est infra duarum horarum spatium. Sed hic semper spectandae sunt variae circumstantiae, quae dari possunt, ut judicium de operis vetiti quantitate rite fieri possit.

Q. *Quinam dispensare valent ad laborandum Die Festo?*

R. 1. Potest Romanus Pontifex, cui a Jesu Christo data est potestas solvendi quaecumque in Ecclesia universali. 2. Episcopus, et qui quasi Episcopalem potestatem habent; 3. Etiam Parochus, quando non datur facilis accessus ad Episcopum; idque tantum ad tempus, et pro aliquo peculiari casu, et circumstantia (1).

---

(1) Praeter Auctores, passim in hoc Tractatu citatos, prae oculis habeatur Edictum sub Pontifice Benedicto XIII. a Prospero Marefoschi Tituli S. Callisti S. Rom. Ecclesiae Presb. Cardinali, et Summi Pontificis Generali Vicario, die 18. Febbruarii 1727. Romae emanatum, quod ita incipit. *Avendo la Santità di Nostro Signore* etc. apud P. Lucium Ferraris V. *Festa*, *Festivitates* n. 18.

TRACTATUS IV.

DE IV. DECALOGI PRAECEPTO.

Cum Divino Jesu Christi Domini nostri oraculo (1): *In his duobus mandatis*; nempe *I. Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente*; II. *autem simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum, universa Lex pendeat, et Prophetae*; unde et Lex duabus in tabulis insculpta fuit, in quarum I. Praecepta quae Deum respiciunt; in II. quae Proximum; explicatis usque modo Praeceptis, quae Deum respiciebant; opus est ut ad explicanda illa Praecepta, quae proximum respiciunt, transeamus. Et quoniam primum praeceptum quod Proximum respicit, et IV. est inter Decalogi Praecepta, ita exprimitur; *Honora Patrem tuum, et Matrem tuam*, in praesenti Tractatu, distinctis Capitibus, more solito, quae, tyroni Theologo, circa hoc scitu necessaria sunt, explicabimus. Ut autem quae explanaturi erimus de hoc praecepto planius percipiantur, notandum est cum D. Thoma (2); *quod non solum dicitur aliquis Pater ratione carnalis generationis, sed quibusdam aliis rationibus aliqui dicuntur Patres, et cuilibet eorum, debetur aliqua reverentia. Dicuntur namque Patres Apostoli, et alii Sancti per doctrinam, et exemplum fidei . . . Dicuntur etiam Praelati Patres, et isti venerandi sunt; sunt enim Dei ministri . . . Item Reges, et Principes . . . Item benefactores . . . Item aetate . . . .* Omnes igitur isti venerandi sunt, quia omnes portant quodammodo similitudinem Patris, qui in Coelis est. Unde de his omnibus, quantum Instituti brevitas tulerit, verba faciemus. Sit propterea

---

(1) Matth. Cap. XXII. v. 37 et seq.

(2) Opusc. de Decem Praecep.

CAPUT I.

De Officiis Parentum carnalium erga suos filios.

Q. *Ad quid tenentur Parentes carnales erga filios?*

R. Tenentur eos diligere; adeoque; 1. eos custodire, et tueri dum infantuli sunt, ne aliquid eis mali accidat (1); 2. tenentur eos alere; 3. tenentur ipsos instruere; atque 4. eis benefacere, et bona sua ligare (2).

Q. *Ad quid tenentur Parentes circa filiorum instructionem?*

---

(1) Quare graviter peccant parentes, qui relinquant filios suos parvulos hac illac, sine duce excurrere. Unde non raro gravia mala illis eveniant, veluti in ignem, vel in aquam prolabuntur, a belluis conculcantur, praecipitio se collidunt etc. Peccant similiter, qui eos aegrotantes, cum opportune possint, necessariis auxiliis et Medicorum, et medicaminum, sanitati restituere non curant; unde et ipsi moriuntur. Peccant pariter Parentes qui in eodem lecto, in quo ipsi dormiunt, tenent infantulos, ex quo non raro evenit, ut illi suffocati miserrime pereant. Nec valet quod se excusent, quod id faciant in necessitate, et adhibita cautela. Experientia namque didicimus, quam multos puerulos, etiam tali cautione adhibita, periisse. Et jure quidem; quis enim dum somno jacet oppressus, de cautela cogitabit? Peccant Mariti, qui uxores suas, dum in utero gestant, crudeliter exagitant, eas injuriis, non solum saturando, vel minis terrendo, sed pugnis calcibus, et verberibus afficiendo. Peccant tandem et ipsae mulieres, quae tempore quo foetum in utero habent, immodicis laboribus, cursibus, vel saltibus se exagitant, unde et non raro, periculo projciendi foetum se exponunt.

(2) *Quia*, inquit Seraphicus Doctor Serm. 5. de Decem Praec. ***Pater habens filium generat ipsum, et ipsius est, filio ligare bona sua.***

R. Tenentur sive per se, sive per alios, salutarem instructionem, atque displicinam ipsis procurare; idque ab illorum infantia, ita ut antequam imbibantur erroneis hujus Mundi fallaciis, atque vanitatibus, Deum cognoscant, ament, atque offendere pertimescant, nec non debita erga ipsum officia exercere incipiant (1).

Q. *Quo pacto tenentur Parentes se gerere circa alimenta filiis praestanda?*

R. Mater tenetur per se lactare filios, vel si non potest, debet bonam nutricem quaerere, quae tale officium praestet (2). Insuper tenetur per triennium fi-

---

(1) Deus namque ita per Ecclasiasticum Cap. VII. v. 25 unumquemque Patrem alloquitur: *Filii tibi sunt: Erudi illos et curva illos, a pueritia ipsorum.* At in quibus erudire debent? *In disciplina et correptione Domini,* ait S. Paulus Ephes. Cap. VI. v. 4. *Si enim nos* inquiebat S. Joannes Chrysostomus Lib. III. adv. Oppugnatores vitae Monasticae: *jubemur vigilare pro animabus eorum, tamquam rationes reddituri, multo magis Pater, qui genuit, qui educavit, qui cum illo domi semper manet.* Unde « tenentur ii, hoc est Parentes, ait cum aliis communiter P. Anacletus Tract. IX. de Praec. Decal. dist. 2. q. 2. n. 18 « sub gravi » obligatione instruere liberos per se, vel per alios, » in necessariis ad salutem. Unde procurare tenentur » ut rudimenta Fidei addiscant; scilicet Orationem Do» minicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apo» stolorum, Praecepta Decalogi, et Ecclesiae, neces» sariam doctrinam de Sacramentis, et alia hujusmodi » . . . Et quidem graviter peccant parentes, si in ta» libus fueriut notabiliter negligentes, cum a tali eo» rum instructione plurimum pendeat salus Liberorum, » et bona eorum conversatio per vitae decursum; nam, » ut Proverb. Cap. 22. legitur: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

(2) Quod si, per se non stetit, filios alere usque ad triennium non posse, vel quia lacte sufficienti car-

lios alere, atque educare (1). Pater vero, post tale triennium debet filios educare, eisque necessaria ad victum, vestitum, et conservationem praestare (2).

Q. *Tenetur ne Pater providere filiis in futurum?*

R. Tenetur, quantum honeste potest, habita ratione circumstantiarum particularium: Quare vel debet illis, si potest competentem haereditatem ad ipsorum substentationem relinquere (3); vel efficere ut ipsi ratione sui status, vel artem aliquam honestam, addiscant, e cujus exercitio, quae ad honeste vitam traducendam necessaria sunt adquirere sibi possint; vel studiis addicere, ut sic decenter in societate versentur, et ea sibi conquirant, quae si non ad luxum, ad proprii

---

uit, vel quia gravida infra id tempus evasit, tunc tenetur pater ad expensas lactationis. *Croix* L. 3. p. 1 n. 697, et alii communiter.

(1) Verum si Mater est infidelis, et Pater fidelis, potest Pater petere ut sibi assignetur filius, etiam triennio minor, ut eum juxta Sacrosantae Fidei Christianae regulas educet; Et hoc quidem merito statutum est; *nam summam esse rationem, quae pro Religione facit: Lib. sunt personae ff. de Religiosis et sumpt. funerum.*

(2) Quod si pater ob paupertatem id non possit; possit autem Mater, quia dives est, tunc prolis alimentatio, etiam post transactum triennium, ad matrem spectabit. *Anacl.* Tract. IX. de Praec. Decal. dist. 2. q. 2.

(3) Quare graviter peccare dicendi sunt Parentes illi, qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent in adquirendis bonis, quibus Filii honeste ali possint in posterum, et substentari; et competentem habeant haereditatem juxta proprii status conditionem; et multo magis peccare Parentes illi, qui bona quae habent, in vitiis, et sceleribus absumunt, unde impotentes redduntur ad filios honeste educandos, et necessaria illis in posterum tribuenda.

status decentiam, et vitam commodius ducendam requiruntur (1).

Q. *Tenetur ne Pater alimenta filio praestare, si ille habeat unde vivat?*

R. Si filius callet aliquam artem, vel Officium exercet, unde quae ad honestam, pro sui status conditione, substentationem providere sibi possit, ad nihil tenetur Pater.

Q. *Ad quid tenetur Pater si filius aliunde vixerit?*

R. Si filius, ut viveret, debita contraxit, tenetur Pater talia debita solvere, dummodo talia debita

---

(1) Caveant tamen Parentes ne addicendo filios studiis, prae oculis ponant illis, aliorum exempla, qui scientias excolendo, fecerunt sibi magnum nomen in terra, vel sibi divitias multas compararunt; hoc enim nimis indignum est, atque damnabile; quippe quod tali pacto, S. Joannis Chrysostomi sententia *Lib. III. adversus oppugnat: Vitae Monasticae n.* 6.; nihil aliud eos docent, quam omnium malorum materiam. *Duos violentissimos amores insinuantes, pecuniarum dico, et qui longe iniquior est, vanae, inanisque gloriae. Horum vero alteruter per se solus cuncta pervertere potest: cum autem ambo in teneram juvenis animam confluunt, quasi quidam torrentes conjuncti, bona omnia corrumpunt, tantam vim spinarum, et arenae, tantam colluviem contrahentes, ut animam illam sterilem, infructuosam, bonisque omnibus vacuam efficiant.* Curent insuper summa diligentia, illos de Optimis Magistris, non solum scientia, sed pietate, et Religione illustribus, providere; neque ita quiescant sub illorum probitate, atque sana doctrina, ut rationem nullam quaerant de suorum filiorum profectu, et qualitate doctrinae, quae didicerint a Magistris. Fatali namque experientia compertum est, adolescentulorum ruinam a Magistris, et Institutoribus, ut plurimum processisse.

intra limites decentiae proprii status, contracta fuerint; quia cum Pater teneatur alimenta filio praestare; eo quod non praestavit, debita contrahere, ut viveret, coactus fuit filius; adeoque nomine Patris debita contraxit; unde tenetur Pater. Quod si quis filio gratis concessit unde viveret, ad nihil tenetur Pater.

Q. *Quomodo se gerere debent Parentes, ut dicantur bene educare filios suos?*

R. Debent eos instruere magis exemplo, quam verbo; verba enim nihil ferme proficiunt, ubi deest exemplum (1).

Q. *Quid agendum est Parentibus cum filiis delinquentibus?*

R. Debent omnibus modis curare ut quiescant mala facere, et discant benefacere, et bonum faciant. Hinc debent eos verbis corripere; quod si verbis non profecerint, virgam in eos adhibere, ut si non verbis, saltem verberibus recedere a malo addiscant, et ad faciendum bonum se convertant (2).

---

(1) Verissimum est illud: *Nihil sine exemplo discitur, aut docetur.* Quare et Jesus ipse Christus Dominus, ut habetur Act. 1. C. 1. Prius *caepit facere et postea docere*; et in omnibus quae docuit, semper suum exemplum praemisit; unde et dixit: Matt. Cap. XI. v. 29. *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* Hinc gravissimo reatu se onerant Parentes illi, qui nedum bonorum operum filiis non praebent exempla, sed verbis, et factis iniquis eos scandalizant, ita ut saepe evenit ut filii in ipsa pueritia scelesti, et Parentum suorum nequiores observentur, maximo Christianae Reipublicae damno.

(2) Memores sint Parentes, se nimia in filios indulgentia non ostendere in eos amorem, sed odium. Nam ut legitur Prov. XXIII. v. *Qui parcit virgae odit filium suum . . et rursus: noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non mo-*

Q. *Possunt ne Parentes cogere filios ad aliquem statum suscipiendum, ad quem ipsi, a Deo vocari, non se cognoscant?*

R. Non possunt. Adeoque graviter peccare dicendi sunt illi Parentes, qui absque ulla justa, et rationabili caussa, filios impediunt, ne Religionem ingrediantur; aut e contra si nolentes ipsi Religionem ingredi, vi, dolo, minis, aut alio quocumque modo, ad Religionis ingressum cogant (1).

---

rietur, tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. Et in Ecclesiastico Cap. XXX. v. 1. *Qui diligit filium, assiduat illa flagella, ut laetetur in novissimo suo.* Porro quot mala ex neglectu hujus correctionis in filios delinquentes, proveniant, graphice describit S. Joannes Chysost. in laud. superius Lib. III., ubi vocat tales Patres suorum filiorum occisores; ipsorumque facinus nullo alio facinori par esse. Hoc autem ita intelligendum esse volumus, non quod Patres erga filios, quasi tyrannidem exercere debeant: hoc namque esset aliud periculosum extremum, quod ad iracundiam provocaret filios, illosque pejores redderet, Patribusque rebelles, sed ut addiscant, filios corripiendos esse paterne, et propter bonum, et emendationem. Scriptum namque est ab Apostolo Coloss. 3. *Patres nolite provocare ad indignationem filios vestros ne pusillo animo fiant.*

(1) Ut huic malo occurreretur; *Anathemati Sancta* Tridentina Synodus Sess. XXV. de Regularibus. Cap. 18. *subiicit omnes, et singulas personas, cujuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint . . . si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem . . . Simili quoque anathemati subiicit eos, qui Sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa caussa impedierint* etc.

Q. *Possunt ne Parentes odio habere filios, eo quod male se gerant, et vitiis indulgeant?*

R. Negative. Nam Parentes semper sunt, et odisse nequeunt filios; qui esto impii, et scelesti sint, chariorem tamen ipsorum portionem esse non desinunt (1).

CAPUT II.

De Officiis filiorum erga carnales Parentes.

Q. *Quid debent filii Parentibus carnalibus?*

R. Debent eis sincerum amorem (2), et quia *Pater*, ut ait Seraphicus Doctor (3), *tenet rationem originis; rationem regiminis, et rationem benefactoris.* Ideo *secundum hoc debetur ei triplex honor, honor reverentiae, honor obedientiae, et honor beneficentiae.* Idipsum de matre dicendum est.

---

(1) Curent propterea Parentes, filios discolos, eo modo meliori quo possunt, a malo avertere; pro ipsis Deum rogare, ut eos Deus convertat. Caveant propterea a maledictionibus contra eos proferendis. Hoc enim esset, illos pejores reddere, et in praecipitium malorum conjicere; scriptum est enim Eccl. Cap. III. v. 2. *Benedictio Patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vid. S. Aug. Lib. 22. de Civit. Dei Cap. 8.

(2) Si enim filii a Parentibus recipiunt quidquid habent; existentiam nempe, alimenta, educationem, et bona alia, tam animi quam corporis, ut propterea Dei vices gerere dicantur, profecto sincerus amor eis filii debent. Unde cuilibet filio ait Ecclesiasticus Cap. VII. v. 30. *In toto corde tuo, honora Patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris: memento quoniam, nisi per illos, natus non fuisses: et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

(3) Serm. V. de Decem Praeceptis.

Q. *In quo consistit honor reverentiae, quem filii debent Parentibus, ratione originis?*

R. Consistit in hoc, quod filii debent eis praestare obsequium, et eis inservire melius ac si essent ipsorum Domini post Deum (1).

Q. *Quid dicendum de illis filiis, qui verbis, aut factis parentes dehonorant, et maledictiones in eos proferunt?*

R. Ipsi gravissimi reatus se reos efficiunt, et districtius a Deo judicabuntur; atque severius punientur (2).

Q. *Ad quid tenentur filii erga parentes, ratione regiminis?*

R. Debent eis humiliter obtemperare (3), illo-

---

(1) Quare debent filii coram parentibus composite stare; ipsis transeuntibus assurgere, manus deosculari tam cum a domo exeunt, quam cum domum redeunt; ab eisque benedictionem petere. Qui aliter faceret, a peccato non esset immunis, et satis ostenderet, se nec Deum timere. Nam uti habetur in Ecclesiast. Cap. III. v. 8. *Qui timet Deum honorabit parentes,* (hoc est) *patrem, et matrem suam, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.*

(2) Scriptum est est enim Exod. XXI v. 17. *Qui maledixerit Patri suo vel matri, morte moriatur.* Et Ecclesiast. Cap. III. v. 18. *Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem*: Et sane, si tenemur benedicere maledicentibus, et orare pro calumniantibus nos, juxta illud Christi Domini apud S. Lucam Cap. VI. v. 28. *Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumnientibus vos*, quanto magis benedicere, et non maledicere debemus Parentibus, qui nos genuerunt, et nobis loco Dei dati sunt?

(3) Quare Paulus ad Ephesios scribens Cap. VI. inquit: *Filii obedite parentibus vestris: hoc namque justum est.*

rumque jussa adimplere (1), modo ad id insufficientes non sint.

Q. *Est ne obtemperandum parentibus si aliquid imperent quod sit contra Legem Dei, et animae salutem?*

R. Negative. Nam nos debemus obtemperare Deo, et jussa ipsius, quae ad suam gloriam, et salutem animarum nostrarum data sunt, adimplere; quoties ergo Parentes contrarium imperant, non est ipsis obtemperandum (2).

Q. *Tenetur ne filius obedire parentibus si ipsi adversantur ei circa electionem status, et praecipue si nolint ipsum ingredi Religionem?*

R. Non tenetur (3); dummodo tamen parentes ra-

---

(1) *Hinc debemus eis obtemperare*, ait Seraphicus Doctor, loco sup. cit. *in exercitatione actuum virtuosorum, sive salubrium, in dispensationibus temporalium, et in subministratione obsequiorum. Debemus etiam vivere secundum eorum consilium, et expendere secundum eorum imperium, et quantum exegerit necessitas, subministrare eis obsequium.*

(2) Nam ait Christus Dominus in Evangelio Matt, X. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Et Actor. V. v. 29. legitur: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*; *Deus enim verior pater est*, ait S. Thomas Opus. IV. de decem Praec. de 4. Praec. Deuteron. 32. *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, et facit, et creavit te?* Unde scite S. Augustinus inquit in Psal. 70. *Ubi hoc jubet pater, quod contra Deum non sit, sic audiendus est quomodo Deus; quia obedire patri jussit Deus.* Hinc si pater filio praeciperet iniquos contractus, vel Duellum, aut inferre damnum proximo sive in persona, sive in bonis fortunae; vel quidlibet aliud simile non esset ei obtemperandum.

(3) *Scriptura quidem*, ait S. Hieronymus Epist. I. ed Heliodorum, *praecipit parentibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat, perdit ani-*

tionabilem causam non habeant ipsum impediendi (1).

Q. *Ad quid obligantur filii erga parentes ratione beneficentiae?*

R. Obligantur pro rata illis respondere (2). Habent a parentibus filii educationem, hoc est instructionem, alimenta, tutelam; et quidquid eis opus est usque dum ad statum non perveniant, in quo sibi relicti, possint comparare quod ad vitam in societate traducendam, et quidem in eo statu, quem elegerint, necessaria sunt; quare et ipsi debent pro parentibus Deum rogare, ut eis salutem mentis, et corporis donet, bonis provideat, a malis, et ab omni

---

mam suam. Quare talis parentibus ita respondere debet filius cum D. Bernardo Epist. III. *Si me vere ut boni, ut pii parentes diligitis, si veram, si fidelem erga Deum pietatem habetis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis? . . . . Vere nunc cognosco quia inimici hominis domestici ejus; in hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnosco parentes, sed hostes: si diligeretis me gauderetis utique, quia vado ad meum, atque vestrum, imo universorum patrem.*

(1) Quapropter possunt, quin etiam obligantur, parentes, filium impedire ne Clericalem statum assumat, quoties cognoscunt, ipsum esse vel ineptum ad Ecclesiastica munia peragenda, vel moribus indignus, qui dedecori esset statui Ecclesiastico; Quod ipsum dici debet de Religionis ingressu, maxime si parentes, sint in extrema necessitate, et non possint aliter, quam a filiis substentari. Caveant tamen Parentes, ne id faciant sub aliquo praetextu colorato, et mundano fine; ut scilicet, pro arbitrstu de filiis, quoad hoc, disponant; nam reddituri erunt Deo rationem de omnibus malis, quae filiis, propter tale impedimentum, sive in anima, sive in corpore acciderint.

(2) Ita in Ecclesiast. C. VII. v. 29. legitur: *Retribue illis*, idest parentibus, *quomodo et illi tibi.*

periculo tueatur. Insuper debent eos a calumniis, aliisque malis eripere, et ipsorum defensioni non deficere: uno verbo, debent eis omne bonum optare, et facere, ne ingrati, pejores habeantur omnium, quos Natura producit (1). Tandem in ipsorum indigentiis, alimenta, et necessaria ad vitae conservationem subministrare, pro sui status conditione, et prout illorum necessitas expostulaverit (2).

---

(1) Quare graviter peccant filii illi, qui curam parentum a se omnino abijciunt; et multo magis, qui mortem ipsorum exoptant, vel ut ab onere leventur illis subveniendi, quia pauperibus; vel ut haereditate bonorum ipsorum ditentur; vitamque lautius, et commodius traducant. Merito propterea damnata fuit ab Innoc. XI. haec propositio: *Licitum est absoluto desiderio, cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.*

(2) Etenim, ut inquit Hieronymus in Cap. XX. Matth. *Honor in Scripturis non tantum salutationibus, et officiis deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur . . . praeceperat Dominus vel imbecillitates, vel aetates, vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent, etiam in vitae necessariis ministrandis, parentes.* Jure propterea; meritoque ita filium alloquitur S. Ambrosius Lib. VIII. in Lucam: *O fili quantum sumis judicium si non pascas parentem? Illi debes quod habes, cui debes quod es. Quantum judicium si pascat Ecclesia, quos tu non vis pascere . . . Si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non reddidistis obsequia, quibus te illa gestavit, non reddisti alimenta quae tribuit tenero pietatis affectu* etc. Quod si haec facere parentibus debent filii pro eorum corporali conservatione, et bono, quid facere non obligantur pro illorum spirituali salute? Hinc merito graviter delinquere dicendi sunt filii si eos peccare observantes, opportune, et modeste non corrigant; in infir-

Q. *Tenentur ne filii, jam Religiosi professi, exire de Religione ut parentibus subveniant, in necessitate constitutis?*

R. Si parentes sunt in extrema necessitate, et filii manentes in Religione non possint ipsis extreme indigentibus subvenire, tunc tenentur egredi a Religione, petita prius, Superioris licentia (1). Si vero sunt tantum in gravi necessitate, non possunt filii, sine superioris licentia e Monasterio egredi, neque Superiores tenentur ipsis talem licentiam dare. (2).

---

mitate, de necessariis ad salutem consequendam non provideant, et in periculo, vel articulo mortis, Sacramenta, caeteraque ad illorum spiritualem salutem conducentia ipsis administrare opportune non curent, ex quo proinde eveniat, ut illi sine Sacramentis Ecclesiae, moriantur, et sine illis dispositionibus, ad quas tenebantur.

(1) Ita communiter Theologi; Verum P. Anacletus Tract. IX. de Praec. Decal. dist. 2. q. 4. n. 11. limitat dicens: « Tenebitur filius, admonito superiore, ac nisi mediante hujus vigllantia, » Monasterium sive Religio, aeque bene, succurrere » possit, ac velit, egredi ad subveniendum extremae » suorum parentum necessitati; dummodo verosimile » sit, quod egrediens possit ipsis subvenire: ad hoc » enim obligat ipsa lex Naturalis, et Divina.

(2) » Tenetur tamen, *ait laudatus P. Anacletus loco cit.* salva sui Praelati obedientia, et suae Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter suis » parentibus succurrat; aut per alios subveniatur ». *Vid. Henno Tract. in Decal. Disp. IV. q.* 3. *Concl.* 2. *et* 3. *Continuat. Tournely T. III. Tract. de Decal. Cap.* 1. *de* 4. *Praec. Besombes. Moralis Christ.* T. 1. de IV. Decalogi Praecepto, aliosque.

CAPUT III.

De Officiis Praelatorum Ecclesiasticorum erga subditos; et Officiis subditorum erga Praelatos.

Q. *Quaenam sunt officia Praelatorum Ecclesiasticorum curam animarum habentium; unde Patres spirituales vocantur?*

R. Ipsorum cura est, juxta Christi Domini praeceptum S. Petro datum (1), pascere animas fidelium; et quidem *pascere*, ut ait S. Bernardus (2), *exemplo conversationis*, *verbo praedicationis*, *fructu orationis* (3).

Q. *Quot peccata committunt Praelati, qui pravo suo exemplo, scandalum grave suis fidelibus subditis praebent?*

R. Ipsi trium peccatorum se reos efficiunt. Praeter enim illam virtutem, quam peccando violant, laedunt Charitatem, cui scandalum datum opponitur, et

---

(1) Joan. XXI. v. 17. *Simon Joannis amas me? Pasce agnos meos . . . . Pasce oves meas.*

(2) Tract. in Evang. *Ecce nos reliquimus omnia.*

(3) Unde Apostolus Titum admonens, ita ei loquitur in Epist. ad ipsum scripta Cap. II. v. 7. *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*; atque idipsum fere scripserat Timotheo Epist. 1. C. IV. v. 11. Unde S. Gregorius P. II. Past. Cap. 2. inquit: *Sit Rector operatione praecipuus, ut vitae viam subditis vivendo denunciet, et grex qui Pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat.*

justitiam, cum illis ipsis noceant, quibus ratione officii prodesse debent (1).

Q. *Quid dicendum de illis, qui sine bono vitae testimonio, et competenti doctrina, Praelatorum onus in se suscipiunt?*

R. Ipsi gravissimo reatu se inficiunt; quippe qui in maximo periculo se conjiciunt perdendi animam propriam, et animas eorum quibus praeficiuntur (2).

Q. *Quomodo peccant Pastores animarum si Catechismi explicationem ad populum, sibimetipsis concreditum, negligunt?*

R. Graviter peccant. Nam ipsorum officium est, fideles sibi concreditos instruere in iis quae quisque credere debet, et facere ut aeternam salutem consequatur. Jam vero hoc, nonnisi Catechismi explicatione obtinetur; Igitur etc. (3)

---

(1) Quinimo laudatus S. Gregorius Parte III. Admonitione 5. inquit. *Scire Praelati debent, quia si perversa unquam perpetrent, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt: unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quae faciunt non soli moriuntur.* Et jam dixerat Augustinus Serm. 46. alias 165. de tempore. *Omnis qui male vivit in conspectu eorum, quibus praepositus est, quantum in ipso est, occidit et fortes oves.*

(2) Et recte quidem. Nam si Praelatus tenetur pascere fideles sibi subditos bonorum operum exemplo, atque doctrina; et ita quidem, ut ait Apostolus Epist. ad Titum Cap I. v. 7. *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*; Quomodo id tales Praelati praestabunt, si integritate vitae non praeluceant, et doctrina fulgeant?

(3) Patet hoc ex Sacra Tridentina Synodo, quae Sess. V. de Refor. Cap. V. *Statuit, et decrevit . . . quod Archyepiscopi quoque, Plebani, et quicumque Parochiales, vel alias animarum curam habentes Ecclesias quocumque modo obtineant per se, vel per alios,*

Q. *Quid dicendum de illis Praelatis, qui aut numquam, aut raro concionem habent ad Popalum; aut alto stylo concionantur, ut a populo non intelligantur?*

R. Dicendum, illos graviter peccare, quia officiis suis non satisfaciunt. Ipsorum est namque, ut dictum est, populos docere quae recta sunt, et persuadere ut illa agant; delinquentes redarguere ut corrigantur, et omnibus aliis modis, quos prudentia, zelus, et circumstantiae praebent, efficere ut ipsi, relictis peccatis, ad currendam divinorum mandatorum viam se toto corde inducant. Verum hoc nonnisi Evangelii explicatione, atque concione obtinetur (1). Igitur etc.

---

idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnioribus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate pascant, salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes, quae sectari oporteat, ut poenam aeternam evadant, et Coelestem gloriam consequi valeant.

(1) Nam *absque sermone*, ajebat S. Hieronymus ad Oceanum, *conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet*. Quare D. Paulus inter alia, quae Thimotheo praescripsit, ut rite Episcopale munus exequeretur Cap. IV. v. 2. Epist. II. ad ipsum scripta, ita ei loquitur: *Praedica verbum, insta opportune, importune, increpa in omni patientia, et doctrina*. Et re quidem vera, ut ait idem Apostolus ad Rom. Cap. X. v. 14. et seq. *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Hinc Concilium Valentinum Anni 855. Can. 16. recte ait: *Ubi verbum Dei fidelibus non ministratur, quid aliud quam vita animae subtrahitur?* et Concilium Lemovicense II. An. 1304. inquit: *Omnes Sacerdotes, quibus Parochia commissa est, omnibus Dominicis, et Festis diebus admonere prae-*

Neque juvat dicere, quod ipsi praedicent, si captui Plebis insciae verba non componant. Quid enim praedicasse juvabit, si quae sunt praedicata non fuerunt intellecta? Idem certe foret ac non praedicasse (1).

Q. *Quid debent Patres spirituales fidelibus, quoad Sacramentum Poenitentiae?*

R. Quoad hoc Sacramentum, debent esse ut Patres, judices, medici, et magistri (2).

---

dicando Populum debent; *secundum illud*; Argue obsecra, increpa: *quia Sacerdos si sine sonitu praedicationis incedit, interminatione Divina, mortis reus est.* Quid clarius?

(1) Unde de talibus merito conqueri potest Ecclesia cum Hieremia Thren. IV. dicens: *Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.*

(2) Quare ut Patres debent peramanenter peccatores excipere, ipsorum confessiones patienter audire, eosque eo modo quo necessarium erit, adjuvare, ut integre, prout oportet, peccata confiteantur. Ut Judices, debent discernere statum ipsorum, et differentiam inter culpam et culpam; non esse praecipites in ferenda sententia, et in impartienda, vel deneganda, vel suspendenda illis absolutione, sed diligenter prae oculis habeant, qua facultate praediti sint circa reservata, et an fideles sint rite dispositi, ut ipsis beneficium absolutionis impendatur. Ut Medici, debent salutaria, pro peccatorum qualitate, medicamenta illis praebere, atque pro peccatis poenitentiam convenientem imponere. Tandem ut Magistri, debent eos instruere; atque salutaribus monitis, et exhortationibus a peccatis deterrere. Haec, et alia hujusmodi debent Patres spirituales fidelibus.

Hinc lugenda prorsus est illorum Pastorum conditio, qui oves errantes non quaeruut, ut ad ovile revocent, nimis raro in Confessionali sedent; et quasi solum tempus Paschale foret fidelium confessionibus audiendis praescriptum, vix aliis anni diebus, aliquando

Q. *Quid dicendum de fructu Orationis ad quem tenentur Praelati erga fideles subditos.*

R. Debent pro illis praeces ad Deum fundere (1)

Q. *Quid debent fideles Pastoribus suis, atque Patribus spiritualibus?*

R. Debent eis 1. *Obedientiam*; (2) in iis quae ad salutem aeternam consequendam conducunt; 2. *Reverentiam*; (3). *Subsidium* (4); et 4. *Sincerum*

---

ad confessionale accedunt; qui infirmos non visitant; eisque spiritualia remedia, et si opus fuerit etiam corporalia, non praebent. Quod hic de Pastoribus dictum est, proportione servata, de aliis Patribus spiritualibus, hoc est Confessariis, dici debet.

(1) Nam cum ipsi debeant fidelibus omne bonum spirituale sincero affectu velle, et procurare; Cumque omne bonum desursum sit, descendens a Patre luminum; idque, statutum divinitus sit, ut sine oratione non obtineatur; debent profecto Praelati, Deum pro fidelibus orare, et pro illis officium mediatorum explere, quod sustinent. *Omnis namque Pontifex*, ait Apostolus Paulus ad Hebr. scribens Cap. V. *ex hominibus assumptus pro hominibus constitutur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* « Unde peccant graviter, inquit Henno cum aliis *Disp. in 4. Decal. Praec.* q. 6, qui nunquam, aut raro pro plebe sibi commissa sacrificium applicant ».

(2) Hinc D. Paulos ad Hebraeos scribens C. XIII. v. 17. ita illis praecipit: *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes.*

(3) Etenim: *Qui bene praesunt Presbyteri*; scribit S. Paulus Epist. I. ad Timoth. Cap. V. 17. *duplici honore digni habentur.*

(4) *Dignus est enim operarius mercede sua*, ajebat idem Apost. laud. loco v. 18. et ad Corinthios scribens, ita eis loquitur in Epist. I. Cap. IX. v. 11. *Si vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metemus? . . . Nescitis quoniam qui in sacra-*

amorem (1).

Q. *Ad quid tenentur Patrini circa eos, quos sive in Baptismo, sive in Confirmatione suscipiunt?*

R. Tenentur, et quidem sub gravi culpa, tales filios spirituales in Fide, Religione, virtutibus, et moribus Christianis instruere; ipsorum defectus corripere, et punire, ut a malo avertantur, ed ad bonum faciendum se inducant; dummodo tamen praedicta a parentibus illorum carnalibus, vel ab aliis ipsorum nomine cum illis non peragantur (4).

Q. *Quid Patrinis debent filii spirituales?*

R. Debent amorem reciprocum, reverentiam filialem, et obedientiam, obligationi Patrinoram proportionatam, et ita quidem, ut si in illis desint, pro qualitate defectus, contra pietatem peculiariter peccent.

Q. *Debemus ne aliquid erga Sacerdotes simplices, sive Praesbyteros?*

---

rio operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participiant. Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

(1) Et sane si tenemur diligere Parentes carnales, qui nos Mundo generunt, cur non magis diligere debemus animarum nostrarum Pastores, et Praelati, qui per Sacramenta nos Christo regenerant; nos spiritualibus alimentis enutriunt; et aeternam haereditatem cum Christo in Coelis nobis procurant?

Atque hinc patet qualiter peccent, qui Pastores suos odio habent, illos non reverentur, de illis obmururant, eorum defectus nedum pandunt, sed exagerant; despectui habent, injuriis eos afficiunt etc.

(4) Audiatur S. Augustinus, qui Serm. 215. de Temp. ita Patrinos hortatur; *Filios, quos in Baptismo excipitis, scitote vos fidejussores pro ipsis apud Deum extitisse, ed ideo tam illos, qui de vobis nati sunt, quam illos quos de fonte excepistis, semper castigate, et corrigite, ut caste, juste, et sobrie vivant.*

R. Debemus, eos honorare et venerari ob praecellentem dignitatem, et potestatem qua praediti sunt inter alios hujus Mundi; et quia sunt Ministri Dei, et Ministeriorum Dei dispensatores, qui ministrant nobis spiritum, et vitam (1).

CAPUT IV.

De obligationibus, aliis, quasi Parentibus, debitis.

Q. *Quid debent subditi Principibus, et Magistratibus?*

R. Debent 1. *Amorem* (2) 2. *Honorem* (3); 3.

---

(1) Nam in Ecclesiastico Cap. IV. v. 7. legitur: *Praesbytero humilia animam tuam* Et Cap. VII. v. 33 *Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica Sacerdotes.* Unde S. Joan. Crysost. in Lib. 7. de Sacerdotio ait : *Discamus fratres, magnam sublimemque esse Sacerdotii dignitatem . . . Omnes itaque nos sincere veneremur eos, qui gradum Sacerdotii obtinent, scientes quod si quis Regis amicos diligat, eo ipso multo magis a Rege diligatur. Amemus ergo Sacerdotes Dei, quoniam illi amici Dei sunt, et pro nobis semper intercedunt.*

(2) Nam si praecepto divino, diligere debemus proximum sicut nos ipsos, multo magis diligere debemus Reges et Principes, qui vice Dei, in Mundo regnant; et sunt suorum subditorum Patres, Domini, Legumlatores, defensores etc.

(3) Etenim Reges, ut mox dictum est, locum Dei tenent in Terra, et vice Dei aliis imperant. *Per me* namque, ait Deus Prov. C. VI. v. 15. *Reges regnant, et Legum conditores justa decernunt.* Quare post Deum illis honor debetur. Unde ajebat D. Petrus Epist. I. Cap. 2, v. 12. *Deum timete Regem honorificate*; non lingua solum, et apparenter, sed sincero corde, et actibus non solum externis, sed etiam internis.

Obedientiam (1) 4. *Fidelitatem* (2). 3. *Tributa* (3). Idque non ex condiscendentia, et libera voluntate, aut per metum, sed necessitate, et propter conscientiam (4).

Q. *Quid debent Domini temporales suis servis?*

R. Debent famulis suis 1. *amorem* (5), 2. *laborum compensationem* (6); 3. *Instructionem* (7); et

---

(1) Quare inculcans Tito suo Paulus morum emendationem, ait Cap. III. Epist. v. 1. *Admone illos Principibus, et Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.*

(2) Qui enim fideles Regi non sunt, non solum, ejus potestati resistunt; sed etiam Dei ordinationi; Unde et graviter peccant, et damnationem sibi procurant. Clara super hoc sunt verba D. Pauli Epist. ad Rom. Cap. XIII. v. 2. *Qui resistit Potestati Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

(3) Et ratio est, ait Apostolus, quia ipsi ministri Dei sunt: *Ideo enim*, inquit laud. loco v. 6. *et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes.* Unde et concludit v. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal.*

(4) Ita laudatus Apost. Epist. citata v. 5. *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

(5) In Ecclesiastico enim legitur Cap. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.*

(6) *Dignus est enim operarius mercede sua*, scribit Apostolus Epist. I. ad Timot. Cap. V. v. 18. Quod si eam illis dare recusaveriut, sciant Domini, se impunes non abire. Audiant propterea, quid eis dicat S. Jacobus Apostolus in Epist. Cap. V. v. 4. *Ecce merces operariorum. . . . quae fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*

(7) Cum namque ipsi sint veluti Patres, curare debent, ut servi, quae de Fide, Christiana Religione,

4. correctionem (1).

Q. *Ad quid tenentur Domini, cum servis quoties aegrotantur?*

R. Si servi longo tempore ipsis servierunt, et senes sunt, atque impotentes, nec habent unde sibi provideant de necessariis medicamentis ad convalescendum, tenentur Domini, eos retinere, de medicamentis et medicis, suis expensis providere; et si opus fuerit, mercedem quoque, tempore infirmitatis, non denegare. Secus non tenentur (2).

Q. *Quid debent famuli suis Dominis?*

R. Debent 1. *Reverentiam* (3). 2. *Obsequium* (4);

---

et Christianis moribus scienda sunt, et agenda, sive per se, sive per alios idoneos perdiscant. ***Si quis*** enim, scribit Apostolus in cit. Epist. ad Timot. ***Suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.***

(1) Si enim cuique Christianorum obligatio imposita est, delinquentes corripere, quanto magis Dominis hanc obligationem impositam esse dicendum est? Dominis inquam, qui respectu servorum, Patris officium gerere debent. Debent itaque Domini, servos suos pro opportunitate, delinquentes, corripere, quod si correctione nihil proficerent, expellere eos a Domo debent, a sua servitute arcere, ne aliis scandalo sint. Hinc Concilium Mediolanense III. de Officio Patris familias agens, ita loquitur: ***Ne patiatur, Dominus, in familia esse quempiam qui blasphemus sit; qui obscaene quidquam vel loquatur, vel agat; qui denique caeteris, turpis vitae exemplum praebeat.***

(2) Vid. Henno Tract. in Decal. disp. IV. q. VII. Conclus. 4.

(3) Ita Apostolus Epist. I. ad Timot. Cap. VI. v. 1. Scribit enim: ***Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.*** Quare peccant contra reverentiam famuli illi, qui dominos suos spernunt; de illis obmurmurant, illos calumniantur, vel negligunt etc.

(4) Rationabile tamen; ***non ad oculum servien-***

3. *Obedientiam* (1); 4. *Fidelitatem* (2).

Q. *Dantur ne casus in quo famuli non tenentur obedire suis Dominis, imo peccant, si illis obediant?*

R. Affirmative; et est quando Domini aliquid illi praecipiunt, quod est contra Legem Dei, et animae salutem (3); vel Ecclesiae praeceptis adversatur.

Q. *Peccant ne famuli si clam aliquid Dominis surripiunt, praetextu compensandi salarium ipsis debitum?*

---

tes, quasi hominibus placentes, ut ait laudatus Apostolus ad Ephesios scribens Cap. VI. v. 67 sed . . . *cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus*.

(1) Nam in laudata mox Epist. eodem Cap. v. 5. idem Apostolus expresse praecipit, dicens: *Servi obedite Dominis carnalibus*. Neque putent obligatos ad obediendum solis Dominis piis, atque prudentibus. Nam D. Petrus in sua I. Epist. Cap. II. v. 18. vult obediendum esse etiam dyscolis: ait siquidem: *servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*. Quapropter pro qualitate inobedientiae peccare dicendi sunt famuli illi, qui suorum Dominorum jussa non exequuntur.

(2) Etenim, ex eodem Apost. Paulo Epist. ad Titum Cap. II. tenentur famuli servire Dominis suis *non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes*.

(3) Siquidem obediendum est potius Deo, quam aliis Dominis carnalibus. Quapropter jure, meritoque damnata fuit ab Innoc. XI. sequens Propositio; *Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, et multoties eidem inservit deferendo scalas, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*.

R. Maxime. Nam statim ac de salario convenerunt cum Domino; nihil sibi debitum ultra putare debent, et propria auctoritate applicare (1).

Q. *Ad quid tenentur Praeceptores erga suos discipulos?*

R. Tenentur eis praestare 1. *amorem* (2), 2. *doctrinam* (3), 3. *correctionem* (4); et 4. *exemplum* (5).

Q. *Quid debent discipuli Praeceptoribus, et Magistris?*

R. Debent 1. *amorem reciprocum*; 2. *reverentiam;* 3. *obedientiam* in iis, quae ad eorum rectam instructionem pertinent (6).

---

(1) Hinc adest haec Propositio damnata: *Famuli et Famulae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

(2) Ipsi enim loco Parentum sunt. Unde amorem discipulis debent; quod si eos non dilexerint, frustra ex illorum frequentia in instructione, fructus expectabitur.

(3) Hoc est eos edocere, quae aetati cujuslibet, et ingenio apta sunt, cum affectu, et patientia; et omnino abstinere a quibusdam doctrinis peregrinis, et falsis, quae mores corrumpunt, et a Religione Catholica avertunt. Notum est quantum, ex defectu hujus advertentiae, damnum juventuti studiose obvenerit; quae scandala in societatem; quot mala in Rempublicam; Regna nempe atque Imperia irruerint.

(4) *Hoc enim*, ait Chrysostomus Hom. XXI. in Epist. II. ad Corint. n. 2. *Magistri officium est non confestim poenas sumere, sed corrigere, atque in inferendis suppliciis constantem, ac tardum esse.*

(5) Consul. quae supra, quoad Patrum, et Praelatorum exemplum, dicta sunt.

(6) Quare peccant illi discipuli, qui Praeceptores vel odio habent, vel de illis obloquuntur; vel eos

Q. *Debent ne juniores senes, revereri?*
R. Utique debent; peculiariter si sunt honestae vitae (1).
Q. *Quid debetur benefactoribus?*
R. Sincera animi *gratitudo*; hinc *amor*, *obsequium*, *gratiarum actio*, et tenax *memoria acceptorum beneficiorum* (2).

---

irrident, aut calumniantur; et qui eis non obtemperant in studiis, aliisque praeceptis ad ipsorum rectam instructionem requisitis.

(1) Praeceptum namque ita legitur in Levitico Cap. XIX. v. 32. *Coram cano capite consurge, honora personam senis.* Unde Apostolus ad Timot. scribens Epist. I. Cap. V. v. 1. sic illi ait: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.*

(2) Nihil enim est homini tam indignum, quam gratum non esse illis, a quibus beneficia accepit, unde dixerit Seneca: *Ingrato homine nihil pejus natura creat; ita, ut cum ingratum dixeris omne malum dicis.* Unde tanto gravius peccare dicendi sunt, ingrati, et supplicio majori afficiendi, quanto majora fuerunt beneficia, quae a benefactoribus obtinuerunt: *Quanto enim*, ajebat S. Joannes Chrysostomus Hom. 52. alias 53. in Matth. n. 3: *majora quis beneficia acceperit, tanto majori supplicio addictus est ut ingratus.*

TRACTATUS V.

De V. decalogi praecepto

Magnus Dominus, et amabilis nimis, cum hominem creasset ad suam imaginem, et similitudinem, paulo minus ab Angelis quidem minoratum, sed super alia omnia opera manuum suarum constitutum, ut huic praecellenti, atque nobilissimae facturae suae opportune, sapientia sua, provideret, non solum ei praecepit quae agenda forent ut bonum consequeretur, sed etiam ea a quibus abstinendum ipsi foret, ut mala effugeret. Hinc postquam praecepit honorare Parentes, atque omnes, qui loco Perentum sunt, quarto mox exposito praecepto: *Honora Patrem tuum, et matrem tuam*, pergit ad praecipienda ea, quae alia bona temporalia respiciunt. Et quoniam inter bona temporalia, quod maxime naturaliter plus amatur est vita; unde dixerit Seneca (1): *Una est catena, quae alligatos tenet, amor vitae*; et contrario, nihil homo magis, *naturaliter aversatur quam mortem*, ut scribit Tertullianus (2), *quae tantam animae et carnis societatem, tantam a conceptu concretionem sororum substantiarum divellit, ac dirimit*; ut hujus vitae bonum incolume servaretur, praeceptum negativum, quod quintum est in Decalogo, subjunxit, dicens: *Non occides*, quo non solum hominis mortem vetavit, sed omnia mala, quae in damnum corporis hominis fieri possent (3), penitus in-

(1) Epist. 26.
(2) Lib. de anima C. 52.
(3) Ita omnes Theologi· Unde Angelicus Doctor. 2. 2. q. 112. art. 6. ad 2. *Omnia nocumenta, inquit, quae in personam proximi inferuntur, intelliguntur in homicidio, sicut in principaliori.* Quapropter verbera

terdixit. De hoc itaque Praecepto in praesenti Tractatu agentes, quae tyroni theologo scitu necessaria esse existimamus, distinctis capitibus exhibebimus; Sit propterea.

CAPUT I.

De Homicidio, et iis quae sub homicidii nomine prohibentur.

Q. *Quid est homicidium?*

R. Homicidium, prout quinto Decalogi Praecepto prohibetur, communiter definitur: *Injusta hominis occisio, sive corporis humani animati injusta peremptio* (1).

Q. *Quale peccatum est homicidium?*

R. Homicidium stricte, et proprie acceptum,

---

vulnera, mutilationes, incarcerationes, et aliae id generis violentiae sub homicidii nomine, hoc praecepto prohibentur.

(1) Explicetur hic per partes definitio, ut clarior evadat. Itaque homicidium dicitur 1. *occisio corporis*; Anima namque, utpote spiritualis, et partibus omnino carens in quas resolvi possit, nequit occidi. Verum est quandoque, animam quoque dici occidi per peccatum, quia peccatum privat illam gratia sanctificante, quae est vita illius; sed hoc est metaphorice, non proprie.

Dicitur 2. *Corporis humani*; et hoc adversus errorem Manichaeorum qui effutiebant, hoc praecepto prohiberi etiam caeterorum animalium occisionem, contra quod in Genesi Cap. IX. v. 3. dicitur; *Omne quod movetur, erit vobis in cibum.*

Dicitur 3. *Animati*, corpus namque anima orbatum non est homo, sed cadaver, et qui cadaver gladio confoderet, certe homicida non diceretur.

Dicitur 4. *Injusta*. Nam hoc praecepto, ut infra dicetur, non prohibetur justa hominis occisio.

est peccatum valde grave, quod Deus maxime exhorret; Nam expresse ipsius praecepto adversatur, et ejus imaginem destruit (1); et opponitur Charitati, et justitiae (2).

Q. *Potest ne homicidium fieri gravius ac in se est?*

R. Affirmative. Idque ex variis circumstantiis evenire potest; veluti si qui occiditur sit sacerdos, sit parens; sit Reipublicae necessarius; si occisio fiat in loco sacro, vel proditorie (3).

Q. *Quo jure prohibitum est homicidium?*

R. Omni jure; Naturali nempe (4); Divino (5);

(1) Unde Cain ipse, qui primus In Mundo homicida fuit, interficiens innocentem fratrem suum Abelem, talem horrorem ad ejus memoriam concepit, ut dixerit Gen. Cap. IV. v. 13: *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.*

(2) Opponitur charitati, qua obligamur ad nulli malum pro malo reddendum; sed ut invicem diligamus, non solum lingua, sed opere, et veritate; bonum proximi corde optando, et factis procurando. Iustitiae vero, quia nemo est dominus humanae vitae, sed solus Deus.

(3) Cum enim occiditur, Ex. gr. sacerdos, non solum peccatur contra Charitatem, qua vetamur facere alteri malum, et tenemur facere bonum; non solum peccatur contra justitiam, quia nemo privatus est dominus vitae humanae, sed solus Deus, ut in nota antecedenti dictum est, et ille cui Deus potestatem dedit; sed peccatur etiam contra Religionem, qua jubetur ut personis Deo consecratis, et Dei ministris debitus honor, et obsequium impendatur. Et sic etc.

(4) Nam homicidium opponitur illo principio naturali, quod in omnium cordibus insculptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; atque innato, illo studio adversatur, quod quisque in se experitur vitam servandi, mortem evadendi.

(5) Uti patet non solum ex laudato expresso prae-

Ecclesiastico (1); et Civili (2).

Q. *Quotuplicis generis est homicidium?*

R. Quatruplicis est generis 1. *simplex*; 2. *qualificatum*; 3. *Casuale; et* 4. *voluntarium.*

Q. *Quale dicitur homicidium simplex, et quale qualificatum?*

R. Homicidium simplex dicitur illud, quod continet tantum malitiam injustitiae; ut si quis hominem sibi inimicum occideret. Homicidium vero qualificatum dicitur illud, quod praeter injustitiam, continet aliam malitiam contra aliam virtutem; ut si quis occideret suum Parentem; hoc namque esset parricidium, quod praeter injustitiam, continet aliam malitiam, quae opponitur pietati.

Q. *Quale, et quotuplex est homicidium casuale?*

R. Homicidium casuale est hominis occisio inadvertenter, et praeter intentionem facta; Et duplex est; nempe *pure casuale*, *et mixte casuale*. Primum est illud quod fit post adhibitam omnem diligentiam ad illud praecavendum; mixte vero casuale est illud, quod committitur post adhibitam aliquam diligentiam, sed non sufficientem ad illud praecavendum.

---

cepto negativo: *Non occides*; sed ex aliis apertissimis Sacrae Scripturae locis. In Genesi enim Cap. IX. v. 6. ait Deus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius*; et in Exodo Cap. XXI. v. 12. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*. Unde Christus Dominus apud Matthaeum Cap. XXVI. v. 52. inquit: *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt.*

(1) In quo varia Statuta, et Constitutiones adversus homicidas ab Ecclesia sancitae fuerunt.

(2) Communiter namque ubique damnatur homicidium, neque Gens, aut Populus, qui omni naturali sensus orbatus non sit, inveniri potest, quod homicidium non horreat, et severis suppliciis homicidas non afficiat.

Q. *Homicidium casuale est ne peccatum* ?

R. Vel loquimur de homicidio pure casuale, et dico non esse peccatum, quia deest voluntarium; vel de homicidio mixte casuale, et dico esse peccatum (1).

Q. *Quid intelligitur per homicidium voluntarium, et quotuplex est* ?

R. Per homicidium voluntarium intelligitur voluntaria hominis occisio; et duplex est; voluntarium nempe *directe*, et voluntarium *indirecte*. Primum est illud, quod directe, et expresse est volitum; secundum vero est illud, quod non est expresse in se volitum, sed in sua causa; veluti si quis praevidens se in ebrietate committere homicidium, adhuc tamen se inebriat.

Q. *Qui directe occideret, vel mutilaret seipsum, esset ne reus homicidii?*

R. Affirmative. Nam: *Si non licet*, verbis utor S. Augustini (2), *privata potestate alicui, hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam, qui seipsum occidit, homicida est*. Idipsum dicendum de mutilatione.

---

(1) Id aperte eruitur ex Scriptura. Num. enim. Cap. 35. v. 22. legitur: *Si homicidium factum fuerit fortuito, et absque odio . . . liberabitur innocens de ultoris manu*. Audiatur hic Angelicus doctor 2. 2. q. 65. art. 8. in corp. *Secundum jura si aliquis det operam rei licitae, debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitae, non evadit omicidii reatum*. Et ibidem has regulas subministrat ut dignoscatur, quando quis in homicidio casuali, peccat; ait namqe: *cum quis non vitat, quod vitare debebat, homicidium incurrit*: *alio modo quando non adhibet debitam sollicitudinem*. Consul. S. Alph. de Ligorio Lib. III. Tract. IV. de V. Praecep. Dub. 4. n. 398.

(2) Lib. 1. de Civit. Dei Cap. 17. Et ibid. Cap. 21. concludit: *Quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine tenebitur*.

Q. *Si suicidium praecepto:* Non occides *prohibetur; cur in Sacris Literis commendatur Samson, qui concussis fortiter Templi columnis seipsum cum Philistiim, ibi congregatis, interemit* (1)? *Cur laudatur Eleazar, qui supposuit se Elephanti, sub cujus mole oppressus interiit* (2)? *et ut de aliis Veteris Testamenti exemplis taceamus; Cur laudatur S. Virgo Apollonia, quae e manibus carnificum aufugiens, a seipsa in ignem injecit, et consumta fuit?*

R. Illos id fecisse Spiritus Sancti impulsu, et ad exercendos virtutis actus, ut communiter docent Patres, prae caeteris S. Augustinus (3); adeoque non peccasse peccato homicidii, quia ab eo moti *qui Dominus est vitae et mortis.*

Q. *Possunt ne sepeliri in loco sacro, qui seipsos directe occidunt?*

R. Negative; ut constat ex pluribus Decretis Ecclesiasticis (4).

Q. *An aliquando liceat alicui indirecte se occidere?*

R. Affirmative; idque in sequentibus casibus;

(1) I. Jud. 16 v. 30.

(2) I. Machab. cap. 6. v. 3.

(3) Lib. 1. de Civit. Dei Cap. 21. Et de Virginibus loquens, quae in flammas se injecerunt, inquit ibid. sed Cap. 26. Quod. *Hoc fecerunt non humanitus deceptae, sed divinitus jussae; nec errantes, sed obedientes: sicut de Samsone nobis fas non est aliud credere.* Consul. Besombes de V. Decalogi Praec. Cap. III. Art. II.

(4) In Concilio namque Bracarense II. Cap. 16. ita statutum legitur: *Placuit ut hi, qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per suspendium, aut praecipitium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commememoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.*

nempe 1. Cum agitur de bono totius Reipublicae (1). 2. Cum avertendum est imminens damnum eidem Reipublicae (2); 3. Cum agitur de avertendo proximi damno sive sit spirituale, sive temporale (3); 4. Cum vita propria nonnisi difficillimis mediis servari possit, (4); 5. Cum quis, ut Dei justitiae faciat satis, ea non arripit media, quibus incolumen se praestare potest (5).

Q. *Licet ne aliquando indirecte mutilare seipsum?*

R. Affirmative: Et est quando id necessarium exi-

(1) Hoc pacto potest, imo tenetur miles manere in statione sua, et in hostes irruere, esto cognoscat se in certo periculo esse, vitam amittendi. Potest quis in publica mercium charitate pro communi Patriae, et Civium bono, ut de necessariis ad vitam provideat, se navigationi exponere, esto mare tempestatibus agitetur, et submersionis certum sit periculum.

(2) Hac ratione excusari possunt, qui cognoscentes, suas naves in hostium potestate deventuras esse, eas incendunt, esto cum navi et ipsi flammis consumendi sint; dummodo tamen nullum aliud supersit medium evadendi mortem.

(3) Quare licitum est tempore pestis visitare infirmos; ministrare illis Sacramenta, medicamenta prebere; monita salutis dare, cadavera sepelire etc.

(4) Hinc homicida sui dicendus non est, qui renuit magni sumtus medicamenta accipere, in quibus suas opes profundi deberent. Item homicida sui non esset qui recusaret ferre abscisissionem necessariam alicujus membri, idque quia sustinere non potest gravissimos dolores ex tali abscissione procedentes. Excipe tamen si persona foret valde bono communi necessaria; in tali enim casu teneretur ipsa dolores illos ferre.

(5) Quapropter potest licite, qui juste ad mortem condemnatus est, se offerre judici; non egredi de carcere, esto sciat sibi paratam esse mortem, et opportuna se offerret occasio evadendi.

stimatur ad totius corporis conservationem (1); vel bonum commune, aut Religionis. Homo namque non est dominus suae vitae, ut ne sustineat membri obscissionem, ad vitam amittendam se exponat; Ulterius, si homo pro bono Reipublicae et Religionis potest mortem pati, cur ergo non magis mutilationem?

Q. Quid dicendum de Medicis, Chirurgis, et Pharmacopolis, si egroti sibipsis commissis, ipsorum negligentia, vel imperitia moriantur?

R. Ipsi graviter peccare dicendi sunt, et quidem peccato homicidii, quia ipsorum culpa est, ut illi moriantur. Id autem intelligendum est, dummodo notabilis fuerit negligentia, vel imperitia (2).

Q. *Quale peccatum committunt, qui per Assassinos mandant aliquem Christianum occidi, et an incurrant aliquam poenam?*

R. Ipsi committunt nimis execrabile delictum,

---

(1) Audiatur Angelicus Doctor, qui 2. 2. q. 65. art. 1. in corp: ita inquit: *Mutilare autem non est licitum alicui privatae personae, etiam volente illo cuius est membrum; quia per hoc fit Injuria Communitati, cujus est ipse homo; et omnes partes ejus. Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est de voluntate, cujus est membrum, praescindere propter salutem totius corporis; quia unicuique commissa est cura propriae salutis.* Quod ipsum dicendum de aliis casibus qui accidere possunt, in quibus ut servetur totius corporis vita, licitum est quod amputetur manus, vel pes.

(2) Ita S. Antoninus cum aliis: Cujus haec sunt verba P. III tit. 2. cap. II. *Ubi negligentia notabili, in curis suis nocent infirmis semper peccant mortaliter facientes contra illud*: Non occides. *Non excusantur ex hoc, quod illud non intendant, quia voluntarie dant operam, unde hoc sequatur, imo etiamsi sequatur sanitas, non excusantur a peccato; quia exponunt se periculo peccati mortalis.*

statim ac constiterit, saltem probabiliter, tale facimus perpetrasse, ipso facto incurrunt excommunicationem, ac depositionem ab omni dignitate, officio, et Beneficio (1); idque etiamsi mors non fuerit secuta (2). In quam poenam incidunt quoque, illos recipientes, defendentes, aut occultantes.

Q. *An irasci alicui, vel odio aliquem habere, cum prava intentione illi nocendi in corpore, pertineat ad homicidium?*

R. Affirmative. Ex ira namque, odio, et prava voluntate erga proximum, ut plurimum, homicidia oriuntur (3).

---

(1) *In fine* d. c. Ubi legitur: *Et postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem, scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia sententia adversus eum requiratur.*

(2) Ut patet ex eodem mox citato C. in quo habetur: *Quamquam mors ex hoc, forsan non sequatur.*

(3) 'Nam Dominus Jesus Christus apud Matt. cap. V. v. 22. ita clare se explicat: *Audistis, quia dictum est antiquis*: *Non occides . . . . Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit* judicio etc. Hinc S. August. Can. *Homicidium* 28. de Poenit. dist. 1. sic habet: *Homicidium Lege vetitum putabatur non aliud esse nisi corporis peremtio; aperuit ergo Dominus, omnem inquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari.* Sed et S. Joannes Apostolus Epist. I. Cap. III. v. 15. expresse docet, quod *Omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Et re quidem vera: *Cum homicidium*, ut ait S. Hieron. Epist. 56. *ex odio saepe nascatur, quicumque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, animo tamen homicida est?*

CAPUT II.

De homicidio quod privata auctoritate committitur

Q. *Licet ne occidere injustum propriae vitae aggressorem?*

R. Licet, modo fiat cum moderamine inculpatae tutelae (1).

Q. *Quaenam requiruntur, ut quis licite occidere possit injustum suae vitae aggressorem?*

R. Quatuor requiruntur; 1. ut aggressio sit actualis (2); 2. Ut qui occidit non possit alia via vitam suam servare (3). 3. Ut occisio non fiat animo ulci-

---

(1) Id namque omni Lege permissum esse videtur. Et sane Exodi Cap. XXII. v. 2. legitur: *Si effrigens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus; et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.*

Sed et jus Civile idipsum clare statuit; nam Lib. 3. Cap. ad Legem Corn. de Sic: Gordianus dicit: *Si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur; quia defensor propriae salutis in nullo peccasse videtur.*

Jus tandem Canonicum, rem circa hoc penitus conficit; in eo enim Innocentius III. Cap. *Significasti*, extra de homicidio, ita loquitur: *Vim vi repellere omnes leges; et omnia jura permittunt; modo tamen fiat cum moderamine inculpatae tutelae, et non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Ex quibus merito inferri potest, Rempublicam privato auctoritatem contulisse occidendi iniquum vitae invasorem.

(2) Unde si aggressor inflixerit vulnus, et in fugam se dederit, non licet illum insequi, et fugientem retro vulneribus afficere, atque interimere.

(3) Si enim vel fugiendo, vel simpliciter verberando, vel alio modo, quin aggressorem occidat, potest vitam suam servare, non licet illum occidere. Licet id namque, inquit Catechismus Concilii Coloniensis, de

scendi, et ex odio privato (1); 4. Tandem ut agressor non sit persona Reipublicae necessaria, vel utilis (2).

Q. *Licet ne occidere injustum invasorem bonorum fortunae?*

R. Si talia bona sunt necessario requisita ad ducendam, et conservandam vitam; itaut sine ipsis non haberet occisor unde viveret, nec affulgeret spes illa recuperandi sive in toto, sive in parte; et tunc licet, quia sicut unusquisque jus habet defendendi propriam vitam, defensione occisiva, ita et pariter defendendi omnia ea quae necessaria sunt ad vitam conservandam (3). Quod si talia bona non ita necessaria sunt, ut sine illis quisque vivere posset; vel bona essent nullius, aut parvi momenti, tunc non licet (4).

V. Decal. Praecepto: *Si tamen certa nostri mors intenditur, nec aliud est effugium.* Et ratio est, inquit S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. *quia plus tenetur homo suae vitae providere, quam vitae alienae.*

(1) Audiatur Doctor Saraphicus, qui Serm. VI. de Decem Praecept: sic ait: *Si sit necessitas inevitabilis ut homo occidat alium hominem, non amore vindictae, sed amore conservationis vitae, et animae . . et fiat hoc cum moderamine inculpatae tutelae, hoc concessum est personis etiam perfectis, non solum imperfectis.*

(2) Bonum namque commune praeferri debet bono privato cujusque.

(3) Ita Fagnanus, qui testatur, hanc esse communem Canonistarum sententiam.

(4) Et sane: *Quomodo*, ajebat S. Aug. Lib. I. de Lib. arb. C. 5. *apud Divinam providentiam a peccato libero sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet humana caedae polluti sunt*? Quare merito damnata fuit ab Innocentio XI. prop. n. 31. in ordine: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius auri.* Quod intelligitur quando dominus non est ita pauper,

Q. *Licet ne defendere, defensione occissiva, bona illa, ad quae habemus jus inchoatum, et nos possessores speramus?*

R. Non licet; et oppositum est damnatum (3). Ratio est quia talia bona possumus facili negotio per judices obtinere; quod si aliquando etiam non acquiramus, id est per accidens; aliunde si non licet occidere invasorem bonorum, quae actu possidemus; modo, ut dictum est, illa absolute necessaria non sint ad vitae conservationem, et alia via recuperare nequeamus, quomodo licitum erit occidere invasorem bonorum, ad quae jus tantum inchoatum habemus?

Q. *Licet ne occidere alium causa defendendi proprium honorem, atque famam?*

R. Non licet (4), et oppositum a Summis Pon-

---

ut praeter illum aureum, nihil aliud habeat, quo vitam conservare possit. Cons. Vivam in explic. hujus Prop.

(1) Uti patet ex his duabus Propositionibus ab Innocentio XI. proscriptis; nempe 32. quae ita se habet. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus*, Nec non 33. cujus haec sunt verba: *Licitum est tam haeredi quam legatario contra injuste impedientem ne ut haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere sicut et jus habenti in Cathedram, vel praebendam contra eorum possessionem injuste impedientem.*

(2) Nam 1. honor, et fama sunt inferioris ordinis, ac est vita humana; 2. non habetur moderamen inculpatae tutelae; et 3. quia occisione illius non conservatur, aut defenditur honor, imo potius obscuratur ac plane deperditur. Verus namque honor hominis Christiani est praeclarum esse virtutibus, imitatorem proinde exempli Jesu Christi, qui cum malediceretur benedicebat. et calumniatus pluribus modis indignis, nemini mortem intulit; et non solum nos docuit dicens: *Orate pro per-*

tificibus proscriptum legimus (1).

Q. *Est ne licitum marito occidere propriam uxorem deprehensam in Adulterio?*

R. Non licet, quia hoc esset vindicta privata, quae prohibita est; unde merito sententia opposita fuit a Pontifice Alexandro VII. (2), veluti erronea, et scandalosa damnata.

Q. *Est ne licitum occidere invasorem pudicitiae?*

R. Dissidium est inter Theologos (3).

---

sequentibus et calumniatibus vos; sed etiam in sua persona exemplum dedit, dum in Cruce pendens: *Pater* dixit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Lucae Cap. XXIII. v. 34. Et hoc ipso quod taliter se fecerat obediens usque ad mortem, et mortem Crucis, a Deo Patre gloriam, et honorem accepit; et insuper Nomen quod est super omne Nomen etc.

(1) Alexander enim V. has damnavit Propositiones; nempe 17. quae ita se habet: *Est licitum Religioso vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando aliquis modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris praedicta impingere.* Insuper 18., quae sequens est: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.* Innocentius pariter XI. hanc proscripsit Propositionem: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit.*

(2) Quae ita expressa est n. 19. *Non peccat maritus, propria auctoritate occidens uxorem in adulterio deprehensam.* Et haec est communis sententia Theologorum, et Canonistarum cum D. Thoma.

(3) Et quidem non desunt pro utraque sententia, non spernendae rationes; ex quibus cui tutius adhaerendum sit, non tam facile definiri potest. Neque mirum, quoties S. Augustinus ipse de hac materia loquens, scri-

Q. *Licet ne privata auctoritate interficere Principem tyrannum?*

R. Cum dist. Si est tyrannus sola gubernatione, attamen est verus et legitimus Princeps, et tunc non est licitum (1). Si vero non solum est tyrannus gubernatione, sed est invasor, non legitimus Princeps, et tunc,habitis quibusdam conditionibus (2), licet. Nam vim vi repellere unicuique licitum est; quando id est bono communi necessarium.

Q. *Possumus ne, pro defensione vitae alterius, occidere injustum illius aggressorem?*

---

pserit Lib. I. de Arb. C. 5. *De pudicitia vero quis dubitaverit quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est; unde a violento stupratore eripi nec ita potest? Quapropter legem quidem non reprehendo, quae tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, non invenio* Consulantur S. Alphonsus a Ligorio, et alii, quos Lib. III. Trac. II. de V. es VI. Decalogi Praec. C. 1. dub. 3. citat, et sequitur pro affirmativa sententia. P. Henno Tract. in Decal. Disp. V. q. 4. de quinto Decal. Praec. art. VI. Concl. unica; Item Auct. continuat. Praelect. Theol. Honorati Tournely T. III. de Decal. Cap. de V. Prac., aliique.

(1) Quare in Concilio Constantiensi merito damnata fuit haec Joannis Hus propositio: *Quilibet tyrannus, potest a quocumqne subdito interfici*: Nam S. Petrus in I. Epist. Cap. II. ait: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

(2) Quatuor autem sunt conditiones quae requiruntur ut Princeps Tyrannus, auctorisate privata, licite occidi possit; nempe 1. ut sit invasor injustus, et nullum habeat jus invadendi; 2. Ut non possit haberi recursus ad Superiorem, qui posset illum cohibere 3. Ut constet de voluntate Reipublicae, mortem illius cupientis: et 4. ut ex tali occisione non timeantur mala majora.

R. Si nullo modo possumus salvare innocentem ab injusta aggressione, quam occidendo aggressorem, et aliunde nullum est vel probabile vitae nostrae, aut alterius gravis damni periculum, tunc possumus (1); secus autem non.

CAPUT III.

De homicidio ratione obortus.

Q. *Quid est abortus?*

R. Abortus est expulsio foetus sive animati, sive inanimati ex utero matris.

Q. *Qui abortum procurant peccant ne peccato homicidii?*

R. Vel foetus est animatus, et certissime, qui procurat abortum, peccato homicidii reus est (2); vel foetus nondum est animatus, et etiam homicidii reus dici

---

(1) Sicut enim ex Lege Charitatis obligamur ad proximum diligendum, sicut nos ipsos; si ad defensionem propriae vitae, ut jam dictum est, cum moderamine tamen inculpatae tutelae, possumus agressorem injustum occidere, etiam obligamur suscipere defensionem vitae innocentis, nostro auxilio indigentis. Quare Proverb. XXIV. v. 11. ait Deus: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Et S. David. Psal. 81. v. 4. *Eripite pauperem; et egenum de manu peccatoris libertate.*

(2) Audiatur Tertullianus, qui Apolog. 1. C. 9. sic ait: *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero dum adhuc sanguis in hominem delibatur dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasciturum; nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, et qui est futurus.* Idipsum confirmat S. Basilius ad Amphil Can. 8. dicens; *Itaque et quae abortum cientia praebent medicamenta, sunt homicidae, sicut et quae foetum necantia venena accipiunt.*

potest, quia tendit ad occisionem hominis, qui aliter formaretur, et in lucem ederetur. Quare graviter peccare dicendi sunt, qui abortum procurant; peccant enim contra Dei Praeceptum: *Non occides* (1).

Q. *Quandonam censeri potest, quod foetus sit animatus?*

R. Variae super hanc rem sunt Auctorum sententiae (2); de quibus quidquid sit, communiter Theologi adhaerentes Glossae, docent, corpus maris die 40, efformari, et anima rationali informari; corpus vero faeminae die 80. (3).

---

(1) Hinc S. Basilius Epist. ad Amphil. Cap. 2. ait. *Quae de industria foetum corrumpit, caedis poenas luet: Formati autem, vel informis subtilitas a nobis non attenditur.*

(2) Nam visum est Aristoteli, corpus maris informari anima rationali 40. fere die a conceptione; corpus vero faeminae die fere 90. Idque, quia expertum est, corpus maris circa 40. diem in latere matris moveri; corpus vero faeminae circa diem 90. Hippocrates docuit, corpus maris die 32; corpus vero faeminae die 42. anima informari. S. Augustinus Lib. 83. Quaest. q. 56. asserit, membrorum omnium sive maris, sive faeminae fabricam, die. 45. perfectam esse; adeoque tunc anima rationali informari. Alii tandem prorsus incertum esse dicunt, quo preciso die, vel tempore anima corpori uniatur. Uno verbo tamen, omnes conveniunt, foetum in utero matris ab anima rationali informari; adeoque merito damnatam fuisse ab Innoc: XI. sequentem Propositionem n. 35: *Videtur probabile, omnem foetum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eam habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

(3) Quorum sententiam sequitur Ecclesia, quoties per Sacram Poenitentiaeriam de poenis agendum est, quae ratione abortus infligi solent. Consul. Cont. Tourn. Cap. II. de V. Decalg Praec. S. Alphonsus de Ligorio Lib. III. IV. de V. Praec C. 1. dub. 4. n. 394. aliique.

Q. *Licet ne aliquando procurare abortum?*

R. 1. dupliciter potest quis procurare abortum; *directe* nempe, et *indirecte*. Directe cum scienter, et voluntarie efficit aliquid, cum intentione, et eo fine, ut sequatur abortus. Indirecte autem quando facit aliquid, vel omittit, ex quo, praeter intentionem, sequatur abortus.

R. 2. Numquam licitum est directe procurare abortum, quia intrinsece malum; indirecte autem aliquando licet.

Q. *Est ne licitum consulere abortum puellae volenti se occidere, ut infamiam evitet?*

R. Si omnia media adhibita sunt ad avertendam puellam ab hoc ferali consilio se occidendi, et tamen ipsa ita constanter persistit in suo proposito, ut certo illud sit executura, occidendi scilicet se et foetum quem in utero habet, et tunc aliquo sensu dici potest esse licitum; quia hoc in casu, puellae dispositae ad facienda duo homicidia; nempe suis ipsius, et foetus, suaderetur facere tantum unum, nempe foetus (1).

Q: *Potest ne procurari abortus, ne puella inventa gravida occidatur?*

R. Nequaquam; quia est hoc intrinsece malum; et non sunt facienda mala ut eveniant bona: et oppositum est damnatum (2).

Q. *Si Mater est in certo periculo vitae, et foetus, quem in utero gestat, est, vel putatur animatus, licet ne ad salvandam illius vitam praebere ei*

(1) Consul. Cont. Tournely Cap. II. de V. Decal. Praec. Sect. I.

(2) Summus quippe Pontifex Innocentius XI. inter alias Propositiones 85. quas anno 1679. proscripsit, una, quae est 35. ita se habet: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

medicinam de se tendentem ad occisionem foetus?

R. Non licere, tum quia hoc esset directe procurare mortem innocentis; tum quia ut salvaretur vita temporalis matris, perderetur vita temporalis, et spiritualis filii, quod duplex malum est vel maxime praecavendum (1).

Q. *Licebit ne id saltem si foetus expellendus, non sit animatus?*

R. Circa hoc non conveniunt inter se Theologi. Volunt aliqui, inter quos S. Antoninus (2), licere talem medicinam matri praebere. Alii e contra sustinent « licere quidem matri sumere medicamentum » directe ad curandum morbum, etsi foetus indire» cte expellatur; non vero directe ad foetum expel» lendum »; et hanc sententiam tutiorem censet S. Aphonsus de Ligorio (3), et omnino in casu nostro amplectendam.

---

(1) Hinc rectissime ad rem S. Ambrosius, cujus sententia refertur C. X. 15. q. 5. *Si non potest subveniri alteri, nisi alter laedatur, commodius est neutrum juvari quam gravari alterum.*

(2) Ita enim expresse habet III. P. tit. 2. Cap. 7. *Si puerperium nondum est animatum anima rationali, posset tunc, et deberet dare talem medicinam, quia licet impediret animationem talis foetus, non tamen esset causa mortis alicujus hominis: et hoc bonum sequitur, quia liberat matrem a morte.* Consul. Cont. Tournely, ut sup.

(3) Et *ratio est*, inquit ipse Lib. III. Tract IV. de V. et VI. Praec. Decal. dubio IV. n. 394. q. 1., *quia si nunquam licitum est expellere semen, etsi ex ejus abundantia mors timeatur, tanto minus licebit expellere foetum, qui est propinquior vitae humanae. Nec valet dicere, foetum inanimatum esse partem matris; nam respondetur, foetum non pertinere ad integritatem corporis materni, sed esse inchoative condistinctum individuum humanum. Excipe, ut bene advertunt* Spor. n.

Q. *Quaenam poenae statutae sunt contra procurantes abortum?*

R. Ex Bulla Sisti V., quae incipit *effraenatam* statuta est poena excommunicationis Papae reservatae, sive effectus sit secutus, sive non; sive foetus sit animatus, sive non. Ex Bulla vero Gregorii XIV. quae incipit: *Sedes Apostolica Pia Mater* etc. statuta est poena excommunicationis, sed Episcopo reservatae, et dummodo foetus sit animatus, et effectus sequatur (1).

Q. *Quibus poenis subjiciuntur in Dioecesi Napolicana procurantes abortum?*

R. Ex vi Synodi Neapolitanae incidunt in Excommunicationem Ordinario reservatam, modo tamen foetus sit animatus, et abortus procuretur veneno, etiamsi effectus non sequatur (2).

Q. *Incidunt ne in excommunicationem Gregorii XIV., qui opere, consilio, vel alia ratione cooperantur ad abortum.*

R. Utique incidunt. Nam Bulla Sisti V. prae-

---

506. et Hol. I. C. *Si foetus esset corruptus, quia tunc non est jam foetus, sed massa putrida, quae amplius non est capax animationis.*

(1) Ex qua Bulla Gregorii XIV. clare patet, Bullam praecedentem Sisti V. quoad tria fuisse moderatam; scilicet 1. quoad excommunicationem; quia non amplius Summo Pontifici, sed Episcopo est reservata; 2. quoad qualitatem foetus; quia foetus debet esse animatus ut incurratur excommunicatio; et 3. quia in ista Bulla foetus debet revera expelli, ita ut si non expellatur, excommunnicatio non incurritur.

(2) En verba casus, qui est XII. in tabella casuum reservatorum cum excommunicatione: *Conficientes cujuscumque generis venena in hominum perniciem. Eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, sive ad hoc qualitercumque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.*

ter supradictam moderationem, quoad caetera fuit a Gregorio confirmata. Cum ergo in tali Bulla excommunicationi subjiciantur cooperantes etc., utique tales in dictam incidunt excommunicationem.

Q. *Incidunt ne in dictam excommunicationem faeminae ipsae praegnantes, quae sumunt pharmacum ad procurandum abortum?*

R. Affirmative, ut patet ex verbis supradictae Bullae Sisti V. (1).

Q. *Quinam possunt absolvere ab excommunicatione per abortum contracta?*

R. Quidquid alii in contrarium sentiant; Ex verbis Bullae Graeg: videtur, omnes Confessarios ad hos casus specialiter ab Ordinario loci deputatos, posse absolvere (2). Et hanc sententiam approbat, et sequitur S. Alphonsus, saepe laudatus (3).

Q. *Possunt ne Praelati regulares a dicta excommunicatione subditos suos absolvere?*

R. Affirmative. Nam majores Praelati regulares

---

(1) Sic enim legitur in §. 1. ipsius: *Ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint*; et in §. 5. ejusdem: *Ac milieres ipsas, quae eadem pocula sponte, ac scienter sumserint.* Vid S. Alph. loc. citato n. 395. q. 5.

(2) *Quilibet*, en Bullae verba, *Presbyter tam secularis, quam cujusvis Ordinis Regularis ad Christi fidelium confessiones audiendas, et ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam et liberam in foro conscientiae tantum absolvendi habeat facultatem.*

(3) Unde in eodem loco, sed n. 397. inquit: *Ipsemet firme testor universe practicari in Missionibus pro quibus, ad hunc casum abortus absolvendum, contenti sunt Sacerdotes Missionarii, quod Episcopi generaliter, eis facultatem impertiantur pro cunctis casibus ipsis reservatis.*

habent jurisdictionem quasi Episcopalem; unde bene possunt sive per seipsos, sive per alios ab ipsis deputatos, suos subditos a dicta excommunicatione absolvere.

Q. *Quinam possunt dispensare in irregularitate, ratione abortus foetus animati, contracta?*

R. Per se loquendo, solus Pontifex Romanus potest in ea dispensare, licet casus sit occultus, quia est irregularitas, uti supponitur, ex homicidio voluntario contracta, in qua irregularitate non potest Episcopus dispensare; uti patet ex Concilio Tridentino (1).

CAPUT IV.

De hominis occisione, publica auctoritate, facta.

Q. *Est ne licitum malefactores occidere?*

R. Est licitum Publicae auctoritati, sive potestati (2).

---

(1) C. Liceat 6. Sess. 24. Vid. S. Alph. loco cit. n. 397.

(2) *Nam si non liceat judici*, ait S. Augustinus. Epist. ad Macedonium 153. alias 54. *malefactores occidere, frustra institutae sunt potestas Regis, jus gladii, cognitores, ungulae carnificis, arma militiae, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris: Habent ista omnia modos suos, rationes, utilitates. Haec cum timentur, coercentur mali, et quietius inter malos vivunt boni.* Ultraquamquod Sacrae Literae aperte testantur, Publicae auctoritati hanc facultatem datam esse. In Exodo enim Cap. XXII. legitur: *Maleficos non patieris vivere; qui coierit cum jumento morte moriatur.* Et in Levitico Cap. XV. *Qui maledixerit Patri suo, aut matri, morte moriatur.* Apostolus pariter Epist. ad Rom. C. XIII. v. 4. inquit: *Si malum feceris time Principem, non enim sine causa gladium portat. Dei enim*

Q. *Quinam malefactores possunt auctoritate publica occidi?*

R. Illi quorum crimina sunt talia, ut in societate ferri impune non possint; quique propterea sunt nocivi publicae conservationi, et tranquillitati; quales profecto sunt publici latrones, incendiarii, Patriae proditores, rei laesae Majestatis etc. (1).

Q. *Possunt ne malefactores occidi, non servato juris ordine?*

R. Ordinarie loquendo, taliter occidi non possunt (2).

---

minister est, vindex in iram ei, qui malum operatur. Et ratio est, quia sicut ad conservandam corporis vitam expedit ut abscidatur membrum putridum; ita, ut integrum societatis corpus servetur, expedit ut homo noxius, et scandalosus e medio tollatur. *Non est ergo iniquitatis*, apposite concludit S. Augustinus loco cit: *Sed potius humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator*.

(1) Atque haec fuit Doctoris Subtilis sententia, quam Angelicus Doctor 2. 2. q 65. art. 6 ad 2. sustinens, inquit: *Non pro quolibet peccato mortali infligitur poena mortis, sed solum pro illis, quae inferunt irreparabile nocumentum, vel etiam pro illis, quae habent aliquam horribilem deformitatem; ita, et ideo pro furto quod irreparabile damnum non infert, non infligitur, secundum praesens judicium poena mortis, nisi ubi furtum aggravatur per aliam gravem circumstantiam, sicut patet de sacrilegio*.

(2) Scriptum est namque Deuteron Cap. XVII. v. 6. *In ore duorum, aut trium testium peribit qui interficietur. Non occidatur, uno contra se dicente testimonium*. Ultraquamquod, natura actus publici exigit, ut non solum ex potestate, sed etiam ex scientia publica procedat; quomodo ergo id verum esset, si juris ordo non servaretur in malefactoribus, publica auctoritate occidendis?

Q. *Dantur ne casus, in quibus occidi possunt, publica auctoritate, malefactores, juris ordine non servato?*

R. Dantur; et 1. est quando malefactores armata manu, et simul juncti damna inferunt; uti sunt publici viarum grassatores, vulgo *banditi* et *brigantes*, qui potestati resistunt, volenti eos comprehendere. 2. Si quis ratione artis Magicae, vel alterius causae non posset capi, vel captus, periculum imminens foret, quod vel aufugeret, vel e manu justitiae eriperetur, cum gravi Reipublicae damno. 3. Quando expedit, ut reperti in fragranti crimine, ad aliorum terrorem, illico interficiantur, ut aliquando accidit iu Bello.

Q. *Licet ne cuique malefactores a publiea auctoritate proscriptos interficere?*

R. Si publica auctoritas ferendo contra illos mortis sententiam, declaraverit, illos posse a quocumque occidi, et tunc cuique licebit illos occidere, quia non occidunt anctoritate privata, sed publica. Si vero eos simpliciter morti addixerit, non licet, « Quia a-
» liud est reum damnare morte, aliud unicuique per-
» mittere ut hanc mortis sententiam exequatur.

Q. *Potest ne judex morti adjudicare aliquem probatum nocentem, si ipse privata scientia noscit illum esse innocentem?*

R. Non potest in conscientia; Nam esto Lex humana obliget judicem ad judicandum juxta allegata, et probata; Lex autem Divina, et naturalis prohibet occidere innocentem (1).

---

(1) In Exodo namque Cap. XXIII. v. 2. ita judici loquitur Deus: *Non suscipies vocem mendacii. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae ut a vero devies;* et v. 7. *Insontem et justum non occides.*

Q. *Debet ne reo ad mortem, publica auctoritate, damnato, tempus dari confitendi peccata?*

R. Affirmative. Nam summopere curandum est, ut qui ob sua gravia facinora morti adjudicatus est, consulat vitae suae spirituali et aeternae, Deo se reconcilians per Sacramentum poenitentiae, ne jaculo etiam aeternae damnationis confodiatur (1).

Q. *Quomodo se gerere debet Confessarius qui vocatur ad audiendam confessionem homicidae, qui ad mortem ducendus est?*

R. Hoc modo se gerere debet, ait P. Franciscus Henno (2): « Interrogare debet I. Confessarius » homicidiam, an occisum provocaverit, an autem » fuerit provocatus? An sui sceleris socios adhibue» rit? Tot enim peccata commisit, quot personas ad » id incitavit. An in loco sacro, vel prophano actio» nem commiserit? An occiderit ex subita passione, » vel ex odio inveterato? Quoties irae motus et oc» cidendi voluntatem renovaverit? An non blaspemiae » imprecationes, contumeliae praecesserint? An non » feritatem in cadaver occisi exercuerit?

» 2. Interrogare debet de persona occisa, an non » sit sanguine, aut affinitate conjuncta? An non sit » aliquis de Magistratu, Tutor, Praeceptor, Herus; » quia tunc ultra justitiam, violat Pietatem, vel ob-

---

(1) Id constat ex Cap. I. *de Poenit:* ubi sequens Concilii Viennensis exhortatio legitur. *Cum secundum statuta Canonica ultimo deputandis supplicio negari* (si petant), *non debeat Poenitentia Sacramentalis, abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum oboleri omnino volentes, justitiurios omnes, et dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant abusu, hortamur in domino etc.*

(2) Tract. in Decalogum Disp. V. q. 4. art. 1. Concl. 3.

» servantiam Parentibus, aut quasi parentibus debi-
» tam. An non sit Monachus, Sacerdos, aut alius Cle-
» ricus? Eo quod tunc committatur sacrilegium, et
» incurratur excommunicatio.

» 3. Examinandus est de qualitate occisi, an
» non esset maritatus; qui uxorem et proles labo-
» ritio nutriret? An non esset filius familias, Paren-
» tibus pro sustentatione necessarius? An ante mortem
» occisi non fuerint expensae factae pro Chirurgo, Me-
» dico, Pharmacopola? Quot dietas perdiderit occi-
» sus? . . . Ut sciat Confessarius an poenitens sit ob-
» noxius restitutioni ».

Q. *An aliquando liceat occidere innocentem?*

R. Nunquam directe licet (1); indirecte autem, aliquando permittitur (2).

CAPUT V.

De Bello.

Q. *Quid est Bellum?*

R. Bellum communiter definitur: *Conflictus plurium armatorum, auctoritate Principis superiorem non recognoscentis, contra extraneos indictus.*

Q. *Explica definitionem.*

R. Dicitur 1. *conflictus plurium armatorum*, et

---

(1) Id namque est expresse a Deo prohibitum. Legitur quippe in Exodo Cap. XXIII. v. 7. *Insontem et justum non occides.*

(2) Quando nempe innocentes nocentibus permixti discerni nequeunt, ut accidit saepe in Bello justo, in quo contra populos rebelles, et inimicorum Castra tormenta bellica diriguntur, atque exploduntur, etsi praevideatur cum nocentibus innocentes quoque fore occidendos. Nam aliter fieri, in tali circumstantia, bellandi regulae prohibent.

sic distinguitur a *Duello*, quod est conflictus duorum et a *rixa*, quae est conflictus unius contra unum; vel paucorum contra paucos; dicitur 2. *Aucthoritate Principis* etc. et ita distinguitur a conflictu exulum, et grassatorum, qui propria auctoritate, etiam innocentes vi et armis aggrediuntur, ac saeve depopulantur, atque trucidant; dicitur 3. *contra extraneos*, et ita distinguitur a *seditione*, quae est multitudo hominum contra alios ejusdem Regni, vel Communitatis; item a *rebellione*, quae est defectio ab obedientia legitimi Principis, et armorum assumtio contra ipsum.

Q. *Quotuplex est Bellum?*

R. Bellum duplex est; 1. *Defensivum*; et 2. *offensivum*. Bellum defensivum dicitur illud, quo vi et armis injuria propulsatur ab aggressore illata. Offensivum vero dicitur illud, quo hostis hostem aggreditur, causa compensationis obtinendae, aut injuriae vindicandae.

Q. *Est ne licitum Bellum?*

R. Est licitum, idque patet ex variis exemplis Veteris Testamenti, in quibus Bella approbantur, et licite a viris Sanctis gesta leguntur (1). Neque constat, in Novo Testamento, Bellum agere esse Christianis prohibitum, imo oppositum suadetur (2).

---

(1) Ita Gen. XIV. v. 18, legitur Melchisedech Sacerdotem occurrisse Abrahae revertenti a caede Regum, eique benedixisse. Pariter habetur Moyses, et Iosue, protegente Deo, insignem de Amalecitis reportasse victoriam. Et sic de Gedeone, Barac, Saule, Davide, Macchabeis, et aliis innumeris, de quibus passim in Sacris Literis fit sermo.

(2) Revera S. Joannes Baptista rogatus a militibus, ut ipsis aperiret quid ad salutem aeternam consequendam facto opus esset, respondit eis: Lucae Cap. III. v. 14. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Ex quibus,

R. *Licitum ne est utrumque Bellum tam defensivum, quam offensivum?*

R. Affimative. Et quod ad Bellum defensivum attinet, illud licitum esse, ipsamet naturalis ratio suadet, et omnia jura concedunt. Et revera, si homini privato, ut supra dictum est, licet vim vi repellere, et ad vitae suae defensionem, injustum aggressorem occidere, multo magis licere dicendum est Reipublicae, ac Supremo Principi contra injustum aggressorem se defendere, quoties Regnum, aut Respublica vel peritura foret, vel graviter debilitanda. Quoad vero Bellum offensivum, illud licitum esse, hoc argumento suaderi posse videtur. Principes summi, et Respublicae liberae, ac perfectae, superiore carent, cui recurrere possint, ut jura ipsorum sarta, tectaque serventur; unde et a natura jus sibi dicendi habent, et partem adversam cogendi, ut sibi faciat sa-

---

verbis ita more suo argumentatur S. Augustinus Epist. V. *Si Christiana disciplina omnia Bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petendibus in Evangelio diceretur, ut . . . se omnino militiae subtrahenrent*; Sed hoc non fecit S. Joannes; et quare? Quia sciebat, ait idem Augustinus Lib. XXII. contra Faustum, *eos non esse homicidas, sed ministros Legis, et non ultores injuriarum, sed salutis publicae defensores*, ergo etc. Ulterius si Bellum foret prohibitum: Christus Dominus Centuriori dicenti se habere sub se milites, ut prospiceret ejus saluti, desertionem militiae ei imperasset; Sed hoc non solum non fecit, sed illius fidem laudavit, uti legitur apud S. Matt. Cap. VIII. v. 10 Igitur etc. Tandem in Actibus Apostolorum Cap. X. v. 22. laudibus celebratur alius Centurio, ut vir justus, ac timens Deum; et tamen miles ille erat, et militare non cessavit: quod facere debuisset si bellare foret vetitum.

tis. Atqui hoc sine Bello, ut plurimum, obtineri non potest; Ergo etc. (1).

Q. *Quaenam sunt conditiones, ut Bellum dicatur justum?*

R. Tres vulgo cum D. Thoma (2), requiruntur; nempe 1. *Auctoritas Principis* (3); 2. *justa causa* (4); et 3. *recta intentio* (5). Non desunt tamen qui alias etiam necessarias conditiones requirunt (6).

---

(1) Quare S. Augustinus Lib. XXI. contra Faustum Cap. 74. *Quid culpatur ait, in Bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non Religiosorum.*

(2) 2. 2. q. 40. art. 1. cujus haec sunt verba. *Primo quidem auctoritas Principis, cujus mandato Bellum est gerendum. . . Secundo requiritur caussa justa, ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur . . . Tertio requiritur, sit intentio bellantium recta; qua scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur.*

(3) Nam *Ordo naturalis*, ait S. Augustinus L. 21. contra Faustum Cap.77. *mortalium paci accomodatus hoc poscit, ut suscipiendi Belli Auctoritas, atque consilium penes Principem sit.*

(4) Quare laudatus Augustinus Lib. IV. de Civit Dei Cap. 6. inquit. *Inferre Bella finitimis, et inde in caetera procedere, ac populos sibi non molestos sola Regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud, quam grande latronicium nominandum est?*

(5) Hinc non est indicendum, neque faciendum Bellum ex odio, et prava voluntate, sed ex justitiae zelo; non cupiditate aliis nocendi, sed recta intentione, et solo desiderio favendi bono communi. Quare culpabile non est Bellum facere; sed: *Nocendi cupiditas*, ait citatus S. Augustinus contra Faustum Cap. 74. *ulciscendi cupiditas, implacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si quae similia; haec sunt, quae in Bellis jure culpantur.*

(6) Addit Henno Tract. in Decal. disp. V. q. 6

Q. *Quaenam in specie sunt causae, quae Bellum justificant?*

R. Sunt duae; scilicet 1. *jurium, et rerum nostrarum defensio;* et 2. *Rerum nostrarum recuperatio* (1).

Q. *Potest ne Bellum esse ex utraque parte justum?*

R. *Materialiter*, hoc est *a parte rei*, nequit esse justum; quia circa eamdem rem dari non possunt jura contraria; *formaliter* vero, potest; quia fieri potest; (et hoc fere in omni lite accidit), ut uterque bona fide, et ex ignorantia invincibili putet se habere rationes sufficientes, et fundatas ad Bellum vel declarandum, vel sustinendum.

Q. *Qualis esse debet causae justitia, ut Bellum licite inferri possit?*

R. Debet esse liquida, ita ut aliter fieri non possit; et Bellum magis ex necessitatate, quam ex alio fine quocumque exerceatur (2).

---

de Bello art. 2. Concl. 4., et quidem recte, hanc aliam conditionem; scilicet ut bellando, modus executionis, sit moderatus Ubi enim is desit, innumeris malis, et quidem irreparabilibus aperiri viam, nemo non videt. Consul. Besombes de V. Decal. Praec. Cap. VII. Art. 2. Cont. Tournely C. II. de V. Decal. praec. Sect. 5. puncto 1. Conc. 2. aliique.

(1) *Justum namque est Bellum*, habetur causa 23. q. 2 *quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa*; et S. Aug. q. *in Heptateuchum* Lib. VI. q. 10. in Josue, inquit: *Justa Bella definiri solent, quae ulciscuntur injurias, si qua Gens vel Civitas, quae Bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est.*

(2) Recte S. Augustinus Epist 207. ad Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, Bellum necessitas ut liberet Deus a necessitate, et conservet in pace: Non e-*

Q. *Quid dicendum si causa non est liquida, sed dubia?*

R. 1. Causa esse potest dubia vel Principi, vel subditis militibus, vel militibus extraneis.

R. 2. Si causa est dubia Principi, et tunc tenetur ipse serium totius rei examen cum suis Consiliariis, et Ducibus instituere, et Bellum suspendere usque dum non constet, se justam causam habere, Bellum exercendi. Si vero causa est dubia militibus subditis, et tunc tenentur ipsi bellare; quia superiori obtemperandum semper est, dummodo certo non constet, eum male imperare (1). Si tandem causa est dubia militibus extraneis, qui sub vexillis ejus militant, et tunc possunt inquirere de justitia Belli, et si adhuc in dubio remanent, debent a militia abstinere, ne se periculo exponant inferendi grave damnum alteri Principi, illiusque subditis. Id autem plerumque fieri debere, ait P. Anacletus Tract. IV. de Virt. Theol. I. Dist. 7. q. 4. de Bello n. 45. « Nam si quidem » causa bellandi speculative appareat dubia, simul » tamen presumtio sit, Principem cum Consiliariis » causam illam prius diligenter examinasse, bonaque » fide ad Bellum procedere, damnari non debent mi» lites, etiam extranei, si eidem, deposito practice

nim pax quaeritur, ut Bellum excitetur, sed Bellum geritur, ut pax requiratur.

(1) Praeclare S. Augustinus Lib. XXII. contra Faustum Cap. 75. *Vir justus si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, recte potest, illo jubente bellare, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei praeceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est ita ut fortasse reum Regem facere iniquitas imperandi; innocentem autem militem, ostendat ordo serviendi.* Et re quidem vera, grave praejudicium Reipublicae inferretur, si ob militum dubia suspendi deberet Bellum; eo magis, quod non omnes milites de causis Belli instrui possint, nec semper expediat, quod ipsi instruantur.

» suo dubio, pro stipendio serviant. « Ita etiam Layman, et alii.

Q. *Quaenam in Bello justo sunt licita?*

R. Generatim loquendo, ea omnia licita sunt, quae ad finem justi Belli necessaria sunt, vel utilia; puta ad consequendam victoriam, et recuperandam rem injuste ablatam; vel ad vindicandam injuriam Principi, vel Reipublicae indebite illatam; dummodo tamen intrinsece mala non sint, quae nullimode cohonestari possint, et in nullo casu fieri licita. Et sane si finis Belli est licitus, licita etiam dicenda sunt media quae ad illum consequendum sunt necessaria.

Quare 1. Licet occidere hostes actu pugnantes, et resistentes, deditionem recusantes.

2. Licet, si necessitas, et Belli justi circumstantiae aliter fieri non posse suadent, Terras hostiles, Civitates, Oppida, agros ferro, et igne vastare; nec non hostium bona immobilia occupare, bonisque suis quoscumque nocentes spoliare, et aliquando etiam Urbem ipsam totam militibus depredandam, depopulandamque tradere. Imperando tamen ut abstineant se a sceleribus, et impudicitiis; ab opprimendis Sacrarum Virginum Monasteriis, atque Collegiis, et ab omnibus aliis iniquitatibus sive contra Religionem, sive contra castitatem etc., quae ad Belli finem non conducunt.

3. Licet uti insidiis, atque stratagemmatibus, ad Belli justi finem conducentibus (1); modo tamen

(1) Quare licitum est hostium vestibus, et signis militaribus uti, atque fugam simulare; sicut fecit Josue jussu Dei, uti patet ex Libro ipsius Josue Cap. VIII. v. 15. ubi legitur: *Josue vero, et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam.* Ex quo concludit S. Augustinus q. 10. in Josue: *Cum justum quis Bellum susceperit, utrum aperta pugna, an per insidias vincat, nihil ad justitiam interest.*

aperta mendacia caveantur.

4. Aliquando etiam licet, per accidens, cumburere ipsas Ecclesias, et hostes ex ipsis extrahere, bona auferre, quae in ipsis reposita sunt (1); hostesque inibi collectos, et bellantes occidere, cum in tali casu, Ecclesiae, veluti Castra ad repugnandum habeantur.

Q. *Quid dicendum de tot innocentibus, veluti pueris, rusticis, Clericis, Religiosis, mulieribus, opificibus etc. qui in urbium direptione cum hostibus, et nocentibus interficiuntur?*

R. Cum isti, praeter voluntatem, et indirecte tantum, ac per accidens occidantur, quatenus fieri non possit ut dignoscantur, et a nocentibus segregentur, licite occiduntur (2).

Q. *Possunt ne innocentes bonis sive mobilibus, sive immobilibus spoliari?*

Q. Quoties Bellum est justum, et innocentium bonis inimici utuntur ad vires augendas, et fortiores se reddendos, tunc possunt innocentes illis spoliari, quia illa opponuntur fini justi Belli.

Q. Quaenam sunt obligationes Belli Ducum, et militum.

R. Tres praecipue sunt; scilicet 1. ***Fidelitas***, et *obedientia* erga Principem, et respective alios militiae Praefectos (3) 2. ***Charitas, et mansuetudo*** erga

---

(1) Praeter ea tamen, quae ad Ecclesiam spectant, et mere ecclesiastica sunt; dummodo periculum non sit, quod illis inimici abuti possint in praejudicium bellatorum.

(2) Ita Doctores communiter.

(3) Debent ergo Duces rigorose custodire militiae secreta, nec ulli, praesertim hosti revelare. Debent militibus debitum stipendium solvere, juxta ipsorum numerum et gradum cujusque; Non debent vi, vel fraude, aut dolo milites conscribere. Invigilare debent, ut disciplina exacte a militibus servetur tam in verbis, quam

Populos, pro quibus vincendis militant (1); 3. *Fides*, et *justitia erga hostes* (2).

Q. *Licet ne Clericis, et Religiosis pugnare?*

R. Ordinarie non licet (3); extraordinarie au-

---

in actibus; ut sic illi ab injustis caedibus, et oppressionibus se abstineant; nec cuique permittant tumultuarie hospitium accipere, non sine injusto innocentium gravamine etc.

Milites pariter debent in Castris manere; servare sibi a Ducibus stationem adsignatam, licet cognoscant se vita periclitari. Debent obedire suis respective superioribus ac Ducibus; et ante condictum tempus a militia, sub falso praetextu, non discedere.

(1) Quare tenentur Duces, quantum fieri potest, a caede, et damnis servare innocentes, hoc est Clericos, Religiosos, pueros, senes, rusticos, mulieres, opifices etc. Item Populos inter quos morantur, oneribus non gravare; Caveant propterea, ne per Regiones transeuntes, accipiant a pluribus Pagis pecuniam, ne illic hospitentur; et postea alios Pagos militum copiis plus aequo onerent; vel aliis non militibus hospitium dari cogant.

Militum quoque obligatio est, rusticos non vexare; atque eorum agros et bona indemnes servare. Quod si rustici fuerint in aliquo culpabiles, atque hinc poena digni, Ducum permissu licebit illos vexare: sed non obliviscantur humanitatis, ne extra justitiae limites excurrant.

(2) Unde tenentur Duces, et milites fidem hostibus datam servare, nec illam fraudulenter interpetrari. Et quoties a Civitatibus summae pecuniariae Principi, vel Duci jam solutae sunt, abstinere omnino debent a novis contributionibus exigendis. Hoc enim injustum esset etc. Vid. Henno Tract. in Decal. Disp. V. q. 6. art. 3. S. quoque Alph. de Ligorio.

(3) Id namque a Sacris Canonibus ipsis expresse est vetitum. Can. enim 6. XXIII. q. 8. ita habetur. *Quicumque ex Clero esse videntur, arma militaria non*

autem aliquando licet (1).

Q. *Incidit ne in irregularitatem Clericus, vel Religiosus, si necessitate pugnare coactus, aliquem manu sua occidat?*

R. Communi Doctorum sententia, incidit in irregularitatem, non jam ex delicto, sed ex defectu lenitatis (2).

Q. *Quid dicendum si Clericus, vel Religiosus militans in necessitate Belli justi, dubitat num aliquem occiderit?*

---

sumant, nec armati incedant; sed professionis suae vocabulum, religiosis moribus, et religioso habitu praebeant; quod si contempserint, tamquam sacrorum Canonum contemptores, et Ecclesiasticae sanctitatis prophanatores, proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo et saeculo militare. Et ratio est, ait Angelicus Doctor 2. 2. q. 40. art. 2. 1. *Quia bellica exercitia maximas iuquietitudines habent: unde multum impedient animum a contemplatione divinorum et laude Dei, et oratione pro populo, quae ad Officium pertinent Clericorum*; Et etiam quia: *Non competit Clericis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo.*

(1) Unde P. Anacletus Tract. XIII. de Cens. q. 4. n. 67. ait; « loquendo de Clericis, Doctores admittunt hoc » (scilicet pugnare), dumtaxat in casu inevitabilis necessi» tatis, et quando per solos Laicos Ecclesia, vel Pa» tria, sufficienter defendi non potest ». Verum, quoad hoc consulendus est P. Ferraris V. Bellum art. IV.

(2) Uti patet ex variis Canonibus, et Summorum Pontificum Decretis apud P. Lucium Ferraris V. Bellum Art. V. n. 1. et seq., qui refert ex Raynaud. n. 82. An. 1459. Pium II. dispensasse in Irregularitate contracta a Religiosis, et Presbyteris Bellum gerentibus contra Mauros in Africa. Insuper a Sacra Cong. Concil. 17. Novem. 1585. declaratum fuisse irregularem Canonicum quemdam Zagabriensis Ecclesiae, qui in Bello adversus infideles, vexelliferum Turcam sua manu occiderat.

14

R. Stante tali dubio debet se habere uti irregularem, et petere dispensationem (1).

Q. *At si bellantes stricto ense irruerent in Clericum, vel Religiosum, ut eum occidant, et Clericus, ut suam vitam tueatur, aliquem ex illis occidat, incidit ne in Irregularitatem?*

R. Major pars Theologorum tenet, in hujusmodi casu, irregularitatem non incurrere (2).

Q. *Quid in Bello justo licite possunt Clerici, vel Religiosi, quin aliquam poenam canonicam incurrant?*

---

(1) Hinc Honorius III. Pelagio Presbytero, qui pugnando aliquos percusserat, et vulneraverat, et ignorabat, num aliquis ex illis deciderit, unde et se incurrisse irregularitatem timebat, respondit: *Cum pro eo quod aliquos percussisti, Irregularitatem metuas incurrisse, mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a misterio Altaris abstineas reverenter.*

(2) Et revera. « Si Pontifex (Honorius nempe III. supra laud.), ait Eminentissimus Prosper Cardinalis Lambertinus, postea S. P. Benedictus XIV. Jnst. 101. im-
» munem Irregularitate declarat eum, qui cum modera-
» mine inculpatae tutelae, privatim rixando, adversarium
» suum interficit, immunis quoque irregularitate cen-
» sendus est, qui in acie pugnando, servatoque eodem
» moderamine, caedem committit. Hinc memoriae prodi-
» tur, P. Anselmum Petramellaram Capuccinum, qui
» manu sua septem Turcas obtruncavit, cum victoria
» superbi atque insolentes navim eius invaserunt, ad
» pedes S. Pii V. supplicem ac devolutum, ut irre-
» gularitatis vinculo solveretur, omni prorsus irregu-
» laritate immunem a Pontifice declaratum fuisse, eo
» quod parumper deposito Crucis signo, quod manibus
» gerebat, ensem distrinxerat, ut vitam defenderet,
» pro qua tuenda septem ex hostibus neci tradiderit, id
» Boverius, idemque Raynaldus commemorant ».

R. Possunt, quae sequntur; ac 1. de licentia Summi Pentificis, possunt in Bello justo, propria manu pugnare (1); 2. habita proprii superioris debita licentia, et facultate, possunt assistere militibus tamquam Cappellani, ut illis Sacramenta ministrent (2); 3. generatim milites hortari ad strenue contra adversarios pugnandum (3); 4. Aliis suadere Bellum justum (4); 5. Invocare Principes saeculares in subsidium contra Infideles, et Haereticos in defensionem Ecclesiae (5); 6. tandem, urgente magna necessitate, possunt maenia, et portas Urbis custodire; imo ad id, in repentino Bello, tenentur (6).

Q. *An liceat pugnare die Festo?*

R. Si necessitas publica, et bonum commune id exigit, licet; secus vero, non licet (7).

---

(1) Uti patet ex tot Cruciatis, et Bellis Sacris.

(2) *Cap: ex multa 9. de voto §. de Clericis.*

(3) Ita post alia Decreta Gratianus *in Cap. Quicumque ex Clero 6. cit. Caus. 23. q. 8. Sacerdotes propria manu arma arripere non debent: sed alios ad arripiendum ad oppressorum defensionem, atque ad inimicorum Dei oppugnationem eis licet hortari.* Idipsum habet Glossa ibid.; et *in Cap. Quod in dubiis* 5. de poenis monet, quod si Innocentius III. sub poena depositionis Sacerdotibus prohibeat, ne alios ad pugnandum incitet, id intelligendum esse *in Bello injusto; secus si esset justum, quia tunc* licitum est hortari.

(4) *Ex Cap. Omni tempore 9. et Cap. Hortatu 10. et Cap. Ut pridem* 17. caus. 23. q. 8.

(5) *Cap. Maximianus 2. caus.* 23. q. 8.

(6) Ita *ex Cap. pervenit* de immunit. Eccl., ubi haec praecise leguntur: *Fraternitas tua nullum per nostrae vel Ecclesiae suae nomen, aut alio modo excusari a murorum vigiliis patiatur, sed omnes ad hoc generaliter compellantur. Quatenus cunctis vigilantibus, melius valeat Civitatis custodia procurari.*

(7) Ita expresse Angelicus Doctor, qui 2. 2. q.

Q. *Quid sunt Represaliae?*

R. Represaliae proprie dicuntur manus civium injectiones in res alterius Reipublicae, alias amicae, Principis auctoritate factae, ob denegatam civi nostro justitiam.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut Repregaliae sint licitae?*

R. Ut sint licitae Represaliae, sequentes conditiones (2) requiruntur; 1. ut manifeste constet, cives Reipublicae fecisse injuriam; 2. ut Superiores illorum rogati, recusent administrare justitiam; 3. Ut constet eos culpabiliter id recusare; 4. Ut Princeps supremus, causa cognita, id concedat; 5. Ut non inferatur plus damni, quam justa satisfactio requirat; 6. Ut non concedantur in personas, et res Ecclesiasticas; 7. tandem ut non fiant, nisi in bonis subditorum.

CAPUT VI.

De Duello.

Q. *Quid est Duellum?*

R. Duellum, alias *Monomachia*, est pugna singularis duorum, ex condicto acceptata, cum periculo occisionis, aut gravis vulneris, statuto tempore, loco, et armis (3).

4o. art. 6. scribit: *Pro tuitione Reipublicae fidelium licitum est justa bella exercere diebus Festis, si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminente tali necessitate, vellet a bello abstinere, sed necessitate cessante, non est licitum bellare diebus Festis.*

(2) Ex S. Alph. a Ligorio Lib. III. Tract. IV. de V. Praecepto C. 1. art. 3. n. 7. Elem. Theol. Pract. de Vitiis Char. opp. §. VI. q. 12.

(3) Differentia itaque inter Duellum, et Bellum

Q. *Quotuplex est Duellum*?

R. Duellum duplex est; *secretum* nempe, sive *privatum*; et *solemne*. Secretum dicitur illud quod omni caret solemnitate; et itidem duplex est, *publicum* nempe, *et notorium*, si omnibus, vel pluribus constat; *occultum* vero, quod vel nemini, vel paucis constat. Duellum vero solemne illud dicitur, quod fit die ac loco determinatis, cum patrinis, et spectatoribus, designatis armis, et affixis publice cartulis. Insuper Duellum aliud est quod fit privata, et aliud quod fit auctoritate publica.

Q. *Est ne licitum Duellum, privata auctoritate, initum?*

R. Negative. Nam est intrinsece malum, omni jure prohibitum (1).

---

haec est; 1. quia, ut innuimus, Duellum fit inter singulares et aequales personas, Bellum vero inter multas, et inaequales personas; 2. Duellum elicitur ex mente unius, et ob bonum peculiare, atque privatum, Bellum vero elicitur ex mente Principis, supremam potestatem, atque auctoritatem habentis; vel ex voluntate Reipublicae, et tendit ad bonum publicum, et commune.

(1) Et 1. quidem jure naturali. Nam nemo est dominus suae vitae, ut possit se ponere in periculo, illam pro lubitu amittendi; neque minus est dominus vitae alterius ut possit illam auferre; jus enim vitae et mortis, ut saepius dictum est, solius Dei est, et illius, cui a Deo conceditur.

2. Jure Divino; uti patet ex V. Decalogi praecepto: *Non occides*, atque aliis Divinae Legis oraculis, homicidium interdicentibus pag. 179.

3. Jure Civili; In omni enim Catholico Regno optimis Legibus statuto, sub gravissimis poenis homicidia nedum, sed et mutilationes, atque hinc Duella prohibentur; et ita quidem, ut Ludovicus Magnus Rex Christianissimus anno 1643. et primo Regni sui, Mense

Q. *Quaenam, praecipue, sunt poenae, de jure Canonico, contra Duellum statutae?*

R. 1. Concilium Tridentinum (1), ipso facto

Junii decreverit, ut qui Duello confligent, tamquam lesae Divinae, et humanae Majestatis rei habeantur, eorumque corpora foras projiciantur, et christiana sepultura donari non possint. Praecipue vero in hoc nostro Neapolitano Regno Siciliae a Ferdinando II. feliciter regnanti, novissime Die 21. Julii currentis anni 1838. sancita est Lex, cujus initium: *I duelli non apportando il danno solo, che* etc. Duodecim articulis comprehensa, qua variis poenis subjiciuntur, non solum duellantes, sed et quotquot Duello quocumque modo cooperantur. Videatur Diarium utriusque Siciliae diei 11. Augusti, ejusdem anni.

4. Jure Ecclesiastico: uti patet ex pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus, atque Decretis contra Duellum, editis; et etiam ex Concilio Tridentino; quod Sess. XXV. C. 19. de reformat. ita expresse habet: *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christianorum orbe penitus exterminetur.*

(1) Sess. XXV. C. 19. de Reform., cujus haec sunt verba; *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et Dominio Civitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelliguntur, et si Feudalia sint, directis Dominis statim acquiruntur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidiae juxta S Canones puniri debeant. Et si in conflictu decesserint, perpetuo carent sepultura Ecclesiastica; illi autem qui consilium in causam Duelli tam jure, quam facto dederint, aut*

excommunicat Imperatores, aliosque Dominos temporales concedentes locum ad Duellum inter Christianos; item duellantes, spectactores, patrinos, et quacumque ratione ad illud suadentes, quos etiam punit proscriptione bonorum, perpetua infamia, et caeteris poenis contra homicidas statutis, ac decedentes in Duello, privat Ecclesiastica sepultura.

R. 2. Pius IV. in aliquo motu proprio (2) extendit illam excommunicationem, et alias poenas ad disfidantes, comitantes, procurantes, auxilium, vel consilium, aut favorem dantes; nec non adstantes, et talem excommunicationem Sedi Apostolicae reservavit.

R. 3. Gregorius XIII. (3) extendit illas poenas etiam ad Duella privata; imo extendit ad provocantem, et acceptantem Duellum, etiamsi pugnam, ob aliquod impedimentum, non commiserint, modo ad locum accesserint pugnaturi, et per eos non steterit, quominus pugnaverint.

R. 4. Clemens VIII. (4) confirmavit omnia statuta supradicta, et declaravit interdictas Civitates, Oppida, Castra, et alia loca in quibus committuntur Duella, tacite, vel expresse permittentibus Dominis, vel Magistratibus; quod interdictum Sedi Apostolicae reservavit.

Q. *Quinam intelliguntur nomine spectatorum?*

R. Spectatorum nomine intelliguntur illi solum, qui ex composito, et de industria Duellum aspiciunt;

---

alia quacumque ratione ad id quempiam suaserint, nec non spectatores excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur; non obstante quocumque privilegio, aut prava consuetudine, etiam immemorabili.

(2) Constit. quae incipit: *Ea quae a Praedecessoribus* etc.

(3) Constitut., cujus initium est: *Ad tollendam.*

(4) Constit. incip. *Illius vices licet* etc. quae integra affertur a P. Lucio Ferraris V. *Duellum* art. II.

scilicet, qui sua praesentia videantur ad pugnam duellantes incitare, nullatenus vero illi, qui fortuito per locum transeuntes ubi exercetur Duellum, illud aspiciunt (1).

Q. *Qui Duellum acceptat, incurrit ne poenas statim ac illud acceptat?*

R. Affirm. Uti ex verbis Constit. citatae Clementis VII. (2).

Q. *Incidunt ne in poenas consulentes, Patrini, commitantes, si qui provocaverint se ad Duellum, illud non committant?*

R. Incidunt; nisi per tales stet, ut Duellum non sequatur (3).

Q. *Si consulentes, antequam sequeretur Duellum, revocaverint consilium, incidunt ne in poenas?*

R. Si consulentes, quantum per seipsos stetit, efficaciter revocaverint consilium, et conati fuerint firmis rationibus persuadere duellantes ut a Duello patrando se abstinerent, et ipsi nihilominus Duellum committere voluerunt, tunc non incurrunt in poenas, quia fecerunt quod potuerunt, ut Duellum non sequeretur; quod si sequitur, id non ex culpa consulentium, sed ex pravitate duellantium provenit (4).

Q. *Potest ne vir equestris acceptare Duellum ut notam timiditatis evitet?*

R. Non potest; uti constat ex propositione ab

(1) In praedicta enim Const. Clementis VIII. §. 3 legitur. *Et ex composito spectatores*; et §. 7. *De industria spectatores*.

(2) Vid. Bonacina, Salmaticeuses, caeterique recensiores.

(3) Ex eadem Constit., et motu proprio Gregorio XIII.

(4) Ita ex Const. Greg. XIII. in qua dicitur. *Consulentes, eisdem censuris, et poenis subjacere si per eos non setit, ne pugna sequatur.*

Alexandro VII. damnata (1).

Q. *Vir militaris potest ne offerre, vel acceptare Duellum, si aliter existimatur ineptus ad officia militaria, et eo officio privetur, quo se, suosque sustentat?*

R. Non potest; et oppositum est a Pontifice Benedicto XIV. damnatum (2).

Q. *Potest ne quis offerre vel acceptare Duellum ad defendendum suum honorem, si certo scit illud non secuturum, quatenus ab aliis impediendum?*

R. Nequaquam, uti constat ex propositione ab eodem mox laudato Pontifice proscripta (3).

Q. *Incurrit ne Ecclesiasticas poenas contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiae, qui acceptat Duellum ex gravi metu amissionis famae, et officii?*

R. Utique incurrit; ut constat ex propositione numero 3. ab eodem Pontifice damnata (4).

---

(1) N. 7. cujus haec sunt verba: *Vir equestris ad Duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

(2) In Const. An 1752. n. 1. his verbis: *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet Duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur; adeoque officio quo se, suosque sustentat, privaretur; vel promotionis, alias sibi debitae, ac promeritae perpetuo spe carere debeat, culpa et poena vacaret sive offerat, sive acceptet Duellum.*

(3) Quae sequens est: *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, Duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

(4) Quae sequens est: *Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel officialis militiae acceptans Duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.*

Q. *Ut pugnantes in Duello priventur sepultura Ecclesiastica expectanda ne est Judicis sententia?*

R. Non est expectanda, ut verba Constitutionis Benedicti XIV. (1) clarissime ostendunt.

Q. *Quinam possunt absolvere ab excommunicatione propter Duellum contracta?*

R. Quidquid alii dicant, ex Constitutione citata Clementis VIII. (2) satis aperte patet, praeterquam

---

(1) In ea quippe sic expresse habetur: *Praeterea simili motu, et auctoritate decernimus, ac declaramus sepulturae Sacrae privationem a Sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco Duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore; etiam ante sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive Duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta Poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit, sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi, ac dispesandi facultate, quo caeteris documentum praebeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae legibus obedientiam praestandi.* Ex quibus clare patet, quod licet quis vulneratus in Duello, extra locum Duelli moriatur, et non obstante quod dederit non aquivoca poenitentiae signa, et absolutionem quoque obtinuerit, adhuc tamen privari debet sepultura Ecclesiastica.

(2) In ea quippe ita legitur: Cujus *excommunicationis absolutionem, ab alio quam a nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, poenitentia et satisfactione congrue peracta* (loquendo de Magistratibus, vel Senatu, aut Populo id facinus scientibus, et sive tacite, sive expresse permittentibus, aut tolerantibus), *nisi in mortis articulo constituti nequeant obtinere, etiam praetextu quarumcumque facultatum, vel indultorum* etc.

Verum est, Regulares Confessarios, virtute suorum privilegiorum, posse a tali excommunicatione absolvere; sed non ubique locorum. Nam ut refert P. Ferraris V.

in articulo mortis, nonnisi a solo Romano Pontifice posse absolvi.

Q, *Incidit ne in poenas contra duellentes statutas Christianus, qui Duellum cum Turca committeret?*

R. Incidit, ob saepe adductas rationes; et quia Christianus Legibus Christianis tenetur, et Ecclesiasticis poenis subest (2).

Q, *Dantur ne casus, in quibus Duellum est licitum?*

R. *Affirm.* Et sunt 1. « Quando Rex vel Prin-
» ceps justum Bellum gerens, quia non habet suffi-
» cientes vires ad resistendum hostibus, vel ad par-
» cendum multitudini, committitur res Duello inter
» duos, vel plures milites utriusque exercitus, deciden-
» do, ut quae pars vicerit, causam obtineat (3); 2.
» quando ipsimet Reges et Principes ad Duellum se pro-
» vocant, ut suorum subditorum saluti prospiciant (4).

Duellum Art. II. n. 21. De speciali mandato ejusdem Pontificis, Sacra Congregatio sub die 16. Novembris 1602. *quoad provocantes et pugnantes in Duello juxta decretum et formam Tridentini, et Gregorii XIII. censuit, Regulares omnes, etiam Societatis Jesu, non posse, virtute suorum privilegiorum, a Censura ob Duellum incursa absolvere, in Italia extra Urbem Romanam.*

(2) Et ita censuit Sac. Cong. Concil. in Cathar. 22 Augusti 1637. Lib. V. Decret. f. 684. Vid. P. Ferr. cit. n. 14.

(3) Tale fuit celebre illud Duellum David cum Golia Lib. I. Regum Cap. XVII. Ait tamen peroptime P. Cunialiati Trac. IV. de I. Decalogi Praec. Cap. IX. de Vitiis Charitati oppos. §. 7. « Tenerentur tamen
» Principes illi cautissime perpendere, an affulgeat pru-
» dens, et probabilissima spes victoriae in illo singu-
» lari certamine, quae sperari nequiret si exercitus con-
» tra exercitum praeliaretur ».

(4) Uti legitur de S. Wenceslao Bohemiae Duce,

CAPUT VII.

De obligationibus, quae enascuntur ab injusto homicidio, vel mutilatione.

Q. *Ad quid tenetur qui aliquem occiderit, vel mutilaverit?*

R. Praecise pro vita, et mutilatione ad nihil tenetur; quia haec bona sunt talis ordinis, ut absolute ab homine, ad aequalitatem, compensari non possint; Nemo enim potest alteri vitam restituere quam occidendo abstulit; neque brachium aut pedem substituere ei cui amputavit; id namque solius Dei est, qui mortificat et vivificat, vulnerat et sanat. An autem quis, pro hac parte, immunis omnino sit a restitutione, dissidium est inter Doctores (1). Pro damnis vero il-

---

qui ad singulare certamen adversus Ducem Curimensem eo fine accessit, ut suorum saluti prospiceret; ac proinde visi sunt Angeli arma ministrasse, et dixisse adversario: *ne ferias.*

(1) Teste Lugo T. 1. disp. 4. sect. 1. n. 5. Recentiores communiter tenent, de rigore Justitiae commutativae, nullam faciendam esse restitutionem praecise pro vita, membro absciso, vel cicatrice relicta; quia cum Justitia commutativa habeat pro objecto formali aequalitatem, si, ut dictum est, haec aequalitas non potest haberi, ubi agitur de homicidio, et mutilatione, profecto cessat omnis obligatio Justitiae commutativae, et restitutionis.

Alii e contra, inter quos praecipue Angelicus Doctor 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1., et Praeceptor Subtilis in IV. dist. 15. q. 3. n. 6., tenent, etiam pro vita, membro absciso, vel cicatrice relicta, aliquam fieri debere restitutionem, licet non in eodem genere, cum hoc homini impossibile sit, sed diverso genere, et ordine bonorum. En verba D. Thomae: *In quibus non potest compensari aequivalens, sufficit quod ibi recompensetur quod possibile est . . . et ideo quando id quod est ablatum, non*

latis, sive laeso, sive aliis, certum est teneri ad restitutionem.

Q. *Ad quid tenetur injustus occisor, vel mutilator, ratione damni illati?*

R. Tenetur 1. restituere omnes expensas rationabiliter factas ab occiso, mutilato, vel percusso pro cibis extraordinariis, pro medicis; et medicinis (1),

---

est restituibile per aliquod aequale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est, puta cum aliquis, alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore; considerata conditione utriusque personae, secundum arbitrium boni viri. Et sane, juxta commmune adagium, impossibilitas excusat a tanto, non autem a toto, nisi quando totum est penitus impossibile. Scotus vero ita laudato in loco scribit: *Qui nec tantam restitutionem velit facere, non potest omnino esse immunis a restitutione, sicut quidam fatui faciunt, non ei ostendentes restitutionem necessario incumbentem, quasi facilius possit transire homicida, quam (ut ita dicam) canicida, vel bovicida, quia si quis occidisset bovem proximi sui, vel canem, non absolveretur sine restitutione: tenetur ergo ad restitutionem spiritualem aequivalentem vitae, quam abstulit, sicut potest esse aequivalentia in talibus.*

Quidquid autem sit in hac celebri controversia, ait P. Lucius Ferraris *V. Restitutio art II. n.* 13. « Consulunt omnes utriusque sententiae Doctores, quod » sicut Judex in foro externo, juste imponit mulctam » pecuniariam occisori, aut percussori offenso, vel ejus » haeredibus applicandam, ita Confessarius in foro interno, seu foro conscientiae, debet imponere occisori, » mutilatori, aut percussori opera spiritualia, sacrificia, preces, eleemosynas, et hujusmodi Animae » occisi, seu profectui spirituali mutilati, aut percussi applicanda in aliqualem compensationem, sive » dein teneantur ex Justitia, sive solum ex Charitate, seu naturali aequitate.

(1) Id clare patet ex Divina Scriptura; Ita enim

pro linteaminibus et aliis necessariis in curatione, deductis tamen expensis illis, quas ille, si sanus esset, pro suo victu ordinario facturus fuisset. 2. Tenetur restituere lucrum cessans ex tali homicidio, vel mutilatione, habita tamen ratione aetatis, officii, et habilitatis personae offensae, et deductis semper expensis, quas ipse facturus fuisset si vixisset; vel si laesus non fuisset (2); 3. Tenetur restituere omnia damna realia simul per accidens illata in bonis fortunae, vel honoris; veluti si januas domus effregerit, vel domum spoliaverit, aut incenderit, ut simul hominem in illa degentem occideret, mutilaret etc.

Q. *Tenetur ne occisor solvere expensas pro funere occisi necessarias?*

R. Si loquimur de expensis, quae in funere ordinario cujusque fieri solent, et ad nihil tenetur, quia tales expensae semper faciendae erant; si vero loquimur de expensis extraordinariis, quae factae fuerunt, quia occisio accidit in loco distanti a domo occisi, et expensae fieri debuerunt pro asportatione cadaveris, et pro alio occurrente, et tunc ad istas expensas tenetur.

Q. *Cui debet occisor restituere debita cum occiso contracta?*

R. Si occisor habet debita realia cum occiso, ante occisionem contracta, et tunc tenetur restituere haeredibus illius tam necessariis, quam voluntariis,

---

legitur Exodi Cap. XXI· v. 19. *Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, si surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat.*

(2) Ita communiter Doctores ex §· 1. *Inst. de Obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur*: et alibi.

quia isti succedunt in omnia jura a defuncto acquisita. Si vero occisoris debita sunt illa, ad quae tenetur ratione homicidii; ratione scilicet lucri cessantis, et tunc debet restituere tantum haeredibus necessariis, veluti filiis, Uxori, Parentibus, cum isti faciant unam personam cum occiso, atque hinc jus habent strictum ad alimenta.

Q. *Tenetur ne occisor solvere creditoribus, quae occisus illis debebat?*

R. Si occisus relinquit bona sufficientia ad solvenda talia debita, ad nihil tenetur occisor. Si talia bona non relinquit, tenetur restituere, quantum occisus suis laboribus, et opera solvisset, si vixisset; quod tamen detrahendum est ex iis, quae ratione lucri cessantis debuisset haeredibus necessariis occisi.

Q. *Qui occidit, vel mutilat suum adversarium in Duello, tenetur ne ad restitutionem?*

R. Si qui occidit est provocans, tenetur, quia fuit injusta causa damni illati; si vero provocatus occidit provocantem, ad nihil tenetur, quia provocans, provocando, cessit juri suo.

Q. *Qui injustum suae vitae invasorem occidit, tenetur ne ad aliquid?*

R. Si occidit cum moderamine inculpatae tutelae, ad nihil tenetur, quia usus est jure suo; si vero limites excessit moderaminis inculpatae tutelae, et tunc tenetur restituere pro rata excessus.

Q. *Si Petrus putans occidere Cajum, occidit per errorem Titium, tenetur ad damna?*

R. Tenetur, quia semper verificatur quod hominem injuste occiderit; et hinc ad damna inde secuta teneri (1).

---

(1) Ita communiter, et patet ex textu in l. *Eum qui nocentem* 18, § 5. *Si injuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut si quis putet me Lucium, Ti-*

Q. *Titius occidit hominem, et ne haberetur ut homicidii reus, sepelivit ejus cadaver in pomario cujusdam sui concivis. Invento a Magistratu tali cadevere, fuit dominus pomarii comprehensus, et ut auctor homicidii mulctatus, tenetur ne Titius ad aliquid?*

R. Tenetur restituere omnia damna dicto domino pomarii innocenti, propter tale facinus, injuste illi causata.

Q. *Eximitur ne ab onere restitutionis, qui ob homicidium, vel mutilationem a publica auctoritate, morte, exilio, vel carceris poena mulctatus fuit?*

R. Non eximitur; quia per tales poenas satisfacit quidem justitiae publicae, et vindicativae, non autem commutativae quam laesit; unde adhuc remanet facienda restitutio haeredibus proximis occisi, cum damna privata, ob publicam punitionem, non resarcinatur (2).

Q. *Quid dicendum si Princeps concesserit homicidae plenissimam homicidii remissionem?*

R. Adhuc tenetur homicida ad restituendum pro damnis illatis; quia Princeps praecise intendit condonare injuriam Reipublicae factam, non vero damna haeredibus necessariis subsecuta.

---

tium esse, cum sim Cajus, Sejus; praevalet quod principale est, injuriam eum mihi facere velle; nam certus ego sum, licet ille putet me alium esse quam sim, et ideo injuriarum habeo actionem.

(2) Addit tamen ex P. Felice Potestà P. Ferraris V. *Restitutio* art. II n. 40. haeredibus occisi divitibus non esse resarcienda damna, quia isti solent esse contenti » poena capitali occisori inflicta, et id insuper docet » ipsemet Scotus in IV. dist. 16. q. 2. secutus ab aliis, » quia homicida sufficienter satisfecit tolerando poenam » capitalem ».

Q. *Si vulneratus, antequam moriatur remittit homicidae, seu percussori omne damnum reale, est ne liber a restitutione homicida, vel percussor?*

R. Adest dissidium inter Doctores. Sed probabilius videtur, adhuc ad restitutionem teneri. (1).

Q. *Si occisor moritur, tenentur ne ejus haeredes restituere, quod ille debebat?*

R. Si occisor reliquit haeredibus bona, tenentur utique haeredes restituere quod ille debebat; quia sicut haeredes succedunt in omnia ejus jura, et bona, ita et succedunt in omnes reales obligationes ejus.

Q. *Tenetur ne homicida solvere creditoribus debita ab occiso contracta?*

R. Si occisus reliquit bona sufficientia ad omnia debita solvenda, ad nihil tenetur homicida; si vero bona non reliquit, tenetur restituere, quantum pru-

---

(1). » Et ratio est, scribit P. Lucius Ferraris loco » cit. sed n. 47. quia remissio a morituro facta habet » quidem locum in damnis praeteritis usque ad ejus » mortem, ac minime in damnis sequentibus; morituarus enim, licet possit remittere totum jus sum quoad » compensationem sibi debitam pro damnis sibi illatis » ante suam mortem, non potest tamen remittere jus » alienum quoad compensationem suis necessariis haeredibus debitam pro damnis eis subsecutis post ejus mortem. Hoc enim jus non pertinet ad occisum, sed immediate ad ejus haeredes necessarios, quibus occisus » de jure, et justitia, tenebatur necessaria ad vitae sustentationem providere, et praestare; adeoque cum ex » ejus occisione dicti haeredes damnum patiantur, jus » proprium acquirunt ad compensationem sibi faciendam ab homicida; et consequenter, non obstante remissione totali ei facta a morituro, tenetur homicida, » et ejus defectu, haeredes ad compensanda damna dictis » haeredibus necessariis subsecuta, cum haec, ut patet, » sint damna propria ipsorum haeredum, et non damna » occisi.

denter existimatur potuisse restituere occisum, si vixisset; illud tamen detrahendo ex iis, quae haeredibus ejus necessariis restituenda forent.

Q. *Juvenis quidam invasit puellam, ut eam defloraret, sed resistentiam passus, grave vulnus in ejus faciem inflixit, ex quo illa graviter aegrotavit, et deformis relicta fuit, nec inventus est, qui illam in matrimonium peteret, ad quid tenetur?*

R. Tenetur ejus parentibus solvere expensas omnes pro ejus curatione erogatas; atque insuper, juxta viri prudentis existimationem, debet ei compensare damnum, ut possit decenter nubere (1).

Q. *Mulier quaedam praegnans in quadam rixa graviter percussa, abortum fecit; et inde contracto laethali morbo, parum abfuit quin moreretur; ad quid tenetur, qui percussit?*

R. Tenetur restituere marito illius omnes expensas pro curatione erogatas (2).

Q. *Praedicta restitutio ab injusto occisore, vel mutilatore facienda, fieri debet ante, vel post Judicis sententiam?*

R. Fieri debet etiam in conscientia, et ante Judicis sententiam (3).

---

(1) Ex Cap. *Si culpa 9. de injuriis, et damno dato.*

(2) Ita ex Sacra Scriptura. Exodi namque Cap. XXI. v. 22. legitur: *Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem praegnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri judicaverint.*

(3) Ita Praeceptor Subtilis IV. dist. 15. q. 5. §. de secando; nec non Doctorum communis sententia: Ratio Clara est, inquit P. Anacletus Tract. IX. de Praec. Decal. Dist. III. q. 4. Concl. 2; quia injustus » damni illator tenetur ex justitia ad reparandum dam- » num injuste illatum, etiam in foro conscientiae ».

Si alii casus occurrent, praeter citatos, hic Aucto-

TRACTATUS VI.

De VI., et IX. Decalogi Praecepto.

Si, teste Regio Psalte (1): *virum sanguinum abominabitur Dominus*, multo magis abominabitur virum luxuriosum atque carnalem, qui, S. Isodori judicio (2), deterior est homicida: *Homicida enim a corpore animam divellit, hic vero animam simul cum corpore perdit, et quodcumque peccatum dixeris, nihil huic sceleri aequale reperies.* Et revera; *De nullo peccato*, ait S. Hieronymus (3), *legitur dixisse Deum quod poenituit se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum Mundum diluvio delevit.* Neque mirandum; Quippe, ut observat S. Thomas a Villanova (4): *Nullus ad Dei contemptum promtior, nullus ad malum perpetrandum audacior; nullus ad persistendum in peccato tenacior, quam luxuriosus.* Hinc rationem reddens Oseas Propheta, cur peccatores suo tempore, licet tot calamitatibus pressi, tot admonitionibus concussi, atque tot minis lacessiti, non solum non convertebantur ad Dominum, sed ne quidem spem dabant de conversione cogitandi, hanc unicam assignat, quia nempe vitio fornicationis dediti erant. *Non dabunt*, en ejus verba (5), *cogitationes*

---

res, poterunt legi in aliis Auctoribus in Tract. de Restitutione damni illati, inter quos prae caeteris Cont. Tournely T. I. P. 3. de Rest. in partic. Sect. 8. Cuniliati Tract. IV. de 7. praec. C. 8. §. 1 S. Alphon. de Ligorio in Theol. Mor. Tract. V. de 7. praec. C. 2. art. 3.

(1) Psal. 5. v. 7.
(2) Orat. 35. T. I.
(3) Apud Mansi Disc. II. n. 12.
(4) Lokner V. Luxuria.
(5) Cap. V. v. 4.

ut revertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationis in medio eorum. Quae cum ita sint, volens Deus, hominem, non solum ab operibus, sed etiam a desideriis carnalibus avertere; et sicuti spiritu vivere debet, ita et spiritu ambulare, Sexto Praecepto, nempe: *Non moechaberis*, omnia carnis peccata prohibuit; et IX. Praecepto, scilicet: *Non concupisces uxorem proximi tui*, etiam carnis desideria, et cogitationes vetavit. Nos itaque de utroque simul Praecepto, in praesenti Tractatu, verba faciemus; atque ea quae tyroni Theologo scitu necessaria sunt, distinctis Capitibus, qua fieri potest, verborum decentia (1), explicabimus.

CAPUT I.

De iis, quae VI. Praecepto prohibentur.

Q. *Quaenam sexto Praecepto prohibentur?*

R. Esto sextum Praeceptum his verbis expressum: *Non moechaberis*, vi verborum, et in rigore, solam moechiam, hoc est adulterium prohibere videatur, ex communi tamen Doctorum sententia, omnia opera carnalia, sive Luxuriae species prohibet (2).

Q. *Quot sunt species Luxuriae?*

R. Luxuriae species septem vulgo enumerantur

---

(1) *Equidem vitium hoc*, ait S. Laurentius Justinianus Lib. 1. de Spir. animae interitu pag. 451. v. 13. et seq. *adeo est detestabile, ut nedum illud perpetrare, verum etiam de ipso particulariter loqui verecundum sit, atque deforme.*

(2) Et sane scribit S. Augustinus q. 71. in Exodum. *Si furti nomine bene intelligitur omnis usurpatio illicita rei alienae . . . . profecto et nomine moechiae omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi.*

scilicet 1. *Fornicatio*; 2. *Adulterium*; 3. *Stuprum*; 4. *Incestus*; 5. *Raptus*; 6. *Sacrilegium*; et 7. *Peccatum contra naturam*. Quibus Seraphicus Doctor 8. addit (1); nempe Concubitus conjugalis libidinosus (2).

Q. *Quid est fornicatio?*

R. Fornificatio (3), proprie dicta, est naturalis concubitus soluti cum soluta, jam deflorata, et corrupta.

Q. *Quo jure est prohibita fornicatio?*

R. Divino, et naturali jure est prohibita (4),

---

(1) In Confessionale C. 2.

(2) De quibus jam aliquas enumeraverat Paulus ad Galatas scribens Cap. V. v. 20. dicens: *Manifesta sunt autem opera carnis; quae sunt fornificatio, immunditia, impudicitia, luxuria.*

(3) Nomen hujus speciei luxuriae, volunt Doctores, derivatum fuisse a fornicibus, sive locis obscuris, sub quibus olim Romae meretrices habitare solebant.

(4) Et quidem quod prohibita sit jure Divino, patet non solum ex sexto Decalogi praecepto, de quo agimus, sed etiam ex aliis Sacrae Scripturae testimoniis. Apostolus namque variis in locis; veluti I. Corinth. VI. v. 9. Ad Galatas V. v. 20. Et ad Ephesios Cap. V. v. 5. manifeste inquit; quod fornicarii, Regnum Dei non possidebunt; vel haereditatem habebunt in Regno Jesu Christi, et Dei. Et in Apocalypsi Cap. XXI. v. 8. dicitur, quod *fornicatoribus pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure.*

Quod autem sit jure naturali quoque prohibita; ita facile suaderi potest Natura eos abhorret concubitus, qui fini generationis, et bono prolis sunt oppositi; Atqui talis est fornificatio; Ergo natura illam abhorret. Prob. min. Finis generationis, non solum est prolis generatio, sed et illius bonum, nempe educatio, instructio, et in virum perfectum proportio; Sed hoc impedit fornicatio, ob defectum curae paternae, aut maternae, aut utriusque; Ergo etc. Hinc merito damnata fuit a Pontifice Innocentio XI. sequens Caramueli-

adeoque est peccatum mortale, vel maxima praecavendum (1).

Q. *Quotuplex distinguitur fornicatio?*

R. Duplex; alia nempe, quae est vaga et indeterminata; hoc est modo cum una, modo cum alia persona, et dicitur *Meretricium*, sive *scortatio;* alia quae est continuata cum una determinata persona, et dicitur *Concubinatus.*

Q. *Quid ergo proprie est concubinatus?*

R. Concubinatus, proprie dictus, est detentio mulieris in propria, vel aliena domo, ac si esset uxor.

Q. *Quaenam de Jure canonico requiruntur conditiones ad concubinatum constituendum?*

R. Quatuor conditiones; nempe 1. *pluralitas copularum* (2); 2. *facilis accessus* (3); 3. *Animus*

---

starum Propositio: ***Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videtur.***

(1) Et ita quidem ut Tertullianus (Lib. de pudicitia Cap. 22.) illud dixerit gravior Idolatria, non ex objecto, sed ex eo quod facilius, et liberius committatur. Inquit enim. ***Nemo volens, negare compellitur, nemo nolens fornicatur. Nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa; negationem vero quanta compellant ingenia carnificis, et genera poenarum? Reipsa quis scelestior, an idololatra, qui Deum amisisse doluit, aut fornicator qui cum amitteret, lusit. Ille bovem mactat idolo, iste hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, et debitam mactat diabolo.***

(2) Hoc est saltem quatuor, vel quinque; quare concubinarii dicendi non sunt, qui bis, vel ter carnaliter se cognoverint; et multo minus tales sunt, qui mulieres detinent, non ad copulam, sed tantum ad oscula, et tactus impudicos.

(3) Hinc concubinarius non est, qui pluries copulam habuit cum aliqua, sed furtim, et cum ma-

perseverandi (1); et 4. *ut mulier non habeat carnale commercium cum alio extraneo* (2).

Q. *Est ne concubinatus peccatum, simplici fornificatione gravius, in confessione explicandum?*

R. Maxime, quia ad simplicem fornificationem addit habitum, et animum perseverandi in peccato; atque hinc continuum, saltem virtuale, peccandi propositum. Insuper et scandalum quod aliis datur; quae certe aperienda sunt in confessione, ut Confessarius rectum judicium efformet de statu poenitentis, et opportuna remedia pro ejus resipiscentia suggerat.

Q. *In quam poenam incidunt concubinarii?*

R. Juxta Concilium Tridentinum (3), si sunt laici incidunt in excommunicationem ferendae sententiae; si vero sunt Clerici, post primam monitionem, ipso facto privantur tertia parte fructuum beneficii, vel pensionis Ecclesiasticae; post secundam monitionem amittunt omnes fructus; post tertiam monitionem privantur ipso beneficio, vel pensione, et inabiles fiunt ad

---

gna difficultate. Neque uti concubinarius habendus filius familias, qui frequenter habet copulam cum famula, domi patris manente, quia eam non retinet suo usui tantum deputatam, nec potest de ea pro lubitu disponere.

(1) Defectu hujus conditionis, concubinarius dicendus non est, qui esto cum muliere determinata rem habeat, et ad eam facilem habeat accessum, non habet tamen animum perseverandi, sed vel eam ducendi in uxorem, vel de collocatione decenti illi providere.

(2) Quare licet jure Civili ad concubinatum requiratur ut congressus impudicus sit soluti cum soluta; jure tamen Canonico, sufficit ad concubinatum, ut quis, quacumque persona, modo uxorio abutatur.

(3) Sess. XXIV. Cap. 8. Vid. Contin. Tournely C. III. De sexto Decalogi praecepto art. I. Concl. 3.

alia obtinenda (1); jure vero municipali incidunt in Casum reservatum absque excommunicatione (2).

Q. *Quinam possunt a supradicto casu absolvere?*

R. Possunt omnes Confessarii, in his tamen tribus casibus; nempe 1. Quando concubinarii, facta reali separatione thori, et domus, per duos menses se continuerint; 2. quando constat, eos factos esse vel physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum (3); et 3. quando paulo post (4) sunt inter se Matrimonium contracturi (5).

Q. *Quid dicendum si per concubinarios non staret ab invicem separari?*

---

(1) Ex eodem Concilio Sess. XXV. Cap. 14. de Reform.

(2) Uti ex Casu VI. in 2. Tabel.

(3) Physice impotentes, hoc est si per aetatem vel morbum nequeunt amplius invicem carnaliter coire; moraliter vero si carnalis ipsorum congressus, sive metu, sive parentum vigilantia, sive alio respectu, vel circumstantia exequi amplius non possit.

Sed hic enascitur difficultas; Si concubinarii facti quidem sunt physice impotentes ad copulam, sed familiariter convivant, habentes inter se tantum oscula, tactus, et amplexus, possunt ne isti absolvi? Non possunt utique absolvi, si non quidem uti concubinarii, quia deest inter eos copula carnalis, saltem ut occasionarii; qui proinde, ut absolvantur, debent ab invicem separari, et proximam peccandi occasionem deserere.

(4) Hoc est, saltem post tres dies cum dimidio.

(5) Haec sunt verba supradicti Casus. *Non absolvantur Concubinarii, et Concubinae, etiamsi excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi facta reali separatione et thori, et domus, et per duos menses se continuerint: vel nisi certo, aut valde probabiliter constet factos physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum, aut paulo post esse inter se Matrimonium contracturos.*

R. In nostra Dioecesi Neapolitana, sine expressa facultate absolvi non possunt (1).

Q. *Si concubinarius retinet concubinam ad illam sodomitice tantum cognoscendam, incidit ne in casum?*

R. Adest dissidium inter Doctores. Qui putant reservationem extendi ad casus atrociores ejusdem generis, tenent illum incidere in casum; qui vero sustinent, reservationem, utpote odiosam, ad dictos casus atrociores non extendi, tuentur, in casum non incidere; Et haec sententia probabilior videtur.

Q. *Debet ne obligari concubinarius ad ejiciendam concubinam, quando ista est ipsi valde utilis, et sine qua aegre nimis, et cum taedio vitam duceret?*

R. Utique debet, et oppositum est a Pontifice Alexandro VII. damnatum (2).

Q. *Meretricium est ne peccatum gravius simplici fornicatione?*

R. Affirmative. In meretricio enim non solum impeditur bona prolis educatio, sed etiam prolis ipsius generatio.

Q. *Possunt ne Magistratus tolerare, sine peccato, meretrices in suis Ditionibus, et Civitatibus?*

R. Proprie, e per se loquendo, non possunt, quia

---

(1) Ita enim habetur Parte II. Synodi Dioecesanae C. IX. de Sacram. Matrim. n. 23. *Confessarii, etiam habentes facultatem absolvendi a reservatis, nullo pacto Concubinarios absolvant, etiamsi in eos excommunicatio in foro exteriori promulgata non sit?*

(2) Prop. 41. quae ita se habet: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.*

quod Lege Dei expresse est prohibitum, impune tolerari nequit, ab iis praecipue, qui vim habent, et potestatem illud impediendi. Nihilominus ad evitanda mala majora, possunt. Et haec, non solum est D. Augustini (1), atque Angelici Doctoris (2), sed et communis Doctorum sententia, atque praxis, ut observat P. L. Ferraris (3).

Q. *Peccant ne qui locant domos meretricibus?*

R. Possunt tales excusari a peccato, si haec tria concurrunt; nempe 1. Quod mulieres illae sint ad meretricandum prorsus resolutae; 2. quod a Republica tolerentur in ea Civitatis parte, in qua ipsis

---

(1) Iste namque S. Doctor ita loquitur: *Hoc facit meretrix in mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in palatio; tolle cloacam, et replebis faetore palatium, et similiter de sentina. Tolle meretrices de Mundo, et replebis ipsum sodomia.* Ex D. Thoma Aquinate Opus. 20. de regimine Principium Lib. 4. Cap. 14.

(2) Qui 2. 2. q. 10. art. 11. in corp. scribit: *Humanum regimen derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quae proscribere posset, ne istis sublatis majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo et in regimine humano, illi qui praesunt, recte alia mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala incurrantur, sicut Augustinus dicit in Libris de Ordine §. 4. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

(3) In Bibliot. Canon. V. *Meretrix* n. 4. Verum est S. Alphonsum a Ligorio Moral. Theol. Lib. III. Tract. IV. Cap. II. Dub. 2. n. 434. probabiliorem dicere oppositam sententiam; at concludit tamen: *Caeterum bene advertit, et probat* P. Sarnelli in suo opusculo de abusu meretricii, quod licet in vastis Urbibus meretrices permitti possint, nullo tamen modo in aliis locis permittendae sunt.

elocatur domus (1); et 3. quod peccatum displiceat elocatoribus.

Q. *Potest ne meretrix recipere, et retinere accepta, ratione meretricii?*

R. Potest non solum ut proprium retinere, sed de eo, pro lubitu disponere in eleemosynis faciendjs, aut aliis donationibus, vel expensis sibi necessariis, et bene visis (2).

---

(1) Quare si domus non est in ea Civitatis parte, in qua publicae meretrices a Superioribus tolerantur, non possunt illis eam locare; et si forte locaverint, debent ex illa eas expellere, ut vitentur scandala, quae ex earum impudico commercio, oriri solent.

(2) Ita S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. ad 7. ad 2. ubi expresse inquit: *Quod mulier meretricium exercens, turpiter agit, et contra Legem Dei, sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra Legem; Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosyna fieri.* Et ita quoque communiter Doctores cum eo.

» Id tamen, *sequitur P. L. Ferraris loco sup. laud. sed n. 10.* debet intelligi solum in casibus, in
» quibus meretrix tale lucrum, seu datum, accepe-
» rit a personis potentibus alienare: quia si illud ac-
» ceperit a personis non potentibus alienare, ut a Fi-
» liis familias, Pupillis, Minorennibus, Religiosis, et
» hujusmodi, tenetur restituere; cum dictae personae,
» non possint dominium talis lucri in ipsam meretri-
» cem transferre.

CAPUT II.

De Stupro, et Adulterio.

Q. *Quid est Stuprum?*

R. Struprum stricte sumtum (1), est defloratio puellae virginis (2), per vim facta (3), extra Matrimonium (4).

Q. *Quale peccatum est Stuprum?*

R. Stuprum est gravissimum, et speciale peccatum, a simplici fornicatione distinctum, in confessione explicandum; quia stuprator gravissimam injuriam infert tam puellae, quam parentibus ejus.

---

(1) Dicimus *stricte sumtum*; quia non desunt graves Theologi, et Sancti Doctores, qui per stuprum intelligunt Virginis deflorationem, etiam sine violentia factam. Hinc Seraphicus Doctor Gentiloq. P. 1. sect. 24 de Luxuria, scribit: *Stuprum est luxuria, qua virginalis incorruptio violatur, seu defloratur.* Angelicus etiam Doctor 2. 2. q. 154. a. 6. *Stuprum, ait, sine raptu invenitur, quando aliquis sine violentiae illatione, illicite virginem deflorat.* Ita etiam Cunilati Tract. II. de Pecc. Cap. 2. n. 10. Juvenin Jnst. Theol. P. V. Diss. VI. de Lege positiva Divina art. 6. Decal. Praec. Rotarius apparatu Theol. Moral. P. II. Sect. 2. n. 6. Antoine Tract. de Peccatis Art. IV. q: 2. n. 2, et alii bene multi.

(2) Ut distinguatur a violento concubitu mulieris solutae corruptae, qui est simplex fornicatio, cum non sit violatio integritatis virginalis.

(3) Copula enim, in quam virgo libere consentit pertineret potius ad simplicem fornicationem, quam ad Stuprum stricte sumtum, uti docent plures Theologi.

(4) Nam virgo in matrimonium copulata, cum a viro suo defloratur, neque peccat, neque stuprum committit.

Q. *Contra quas virtutes peccat, qui proprie acceptum stuprum, committit?*

R. Peccat 1. contra castitatem; 2. contra charitatem propter scandalum, quod virgini dat, inducendo illam ad copulam; et 3. contra justitiam, injuste illi auferendo inextimabile virginitatis lilium; et tam illi, quam illius parentibus gravia mala, et damna inferendo (1).

Q. *Ad quid tenetur virginis stuprator?*

R. Pro integritate virginali ablata ad nihil tenetur, quia haec est irreparabilis. Si vero damna tam virgini, quam ejus parentibus, ex strupro causata sint, tenetur ad omnia damna, quia fuit efficax illorum causa. Si autem nulla damna causata sint, vel quia delictum mansit occultum, vel quia puella aeque bene, atque decenter nupsit, et ad nihil tenetur (2).

Q. *Si puella in sui defloratione libere consentit, tenetur ne ad aliquid deflorator?*

---

(1) Struprum ergo est peccatum tale, quod jure communi Caesareo §. *Si. autem*, *Instit. de publicis judiciis*, etiam poena mortis plectatur. In Regno vero Neapol. juxta novissimum Codicem, Struprum poena reclusionis mulctatur. Ita II. P. L. Lib. II. Tit. 7. Cap. II. n. 533. Cujus haec sunt verba « Lo stupro violento consumato sopra dell'uno o dell'altro sesso » sarà punito colla reclusione.

(2) Monent tamen Doctores cum quibus S. Alphonsus de Ligorio Cep. 2. de Rest. Dub. 6 art. 4. §. 1. hoc non obstante quod nullum damnum ex strupro sit causatum, teneri defloratorem etiam aliquid aliud dare propter moerorem et periculum vexationis patiendae a viro, si corrupta cognoscatur . . . Et post aliqua advertit cum multis Theologis: *Quod si mulier male tractetur a viro ob cognitum defectum, tenetur stuprator damna mulieri compensare.*

R. Quoad puellam, ad nihil tenetur (1); quoad vero parentes, in quorum custodia erat puella, si damna secuta sunt ipsis ex tali defloratione, utpote qui debuerunt erogare majorem dotem ut puella decenter, in matrimonium collocaretur, et tunc, quidquid dicant alii, tenetur ad talia damna, prudentum arbitrio (2), Si vero talia damna secuta non sunt; volunt non pauci Doctores, inter quos S. Thomas, et S. Antoninus, adhuc teneri illis dare aliquam satisfactionem, sive in aliquod reale, sive in aliqua honorificentia (3).

Q. *Tenetur ne stuprator accipere a se defloratam in uxorem?*

R. Si promisit ei matrimonium, tenetur, dummodo tamen nihil aliud obstet (4); Si vero matrimo-

---

(1) Nam justa Regulam 26. Juris in 6· *Scient et consentienti, non fit injuria, neque dolus.* Imo in tali casu struprum proprie dictum non habetur.

(2) Et ratio est, quia stuprator fuit vera causa talium damnorum.

(3) Et Doctor quidem Angelicus 2. 2. q. 154. a 6. ad 3. inquit. *Injuriam facit* (deflorator) *patri puellae, unde ei secundum legem tenetur ad poenam* ex Deut. Cap. XXII. v. 28. 29. ubi legitur: *Si invenerit vir puellam virginem, quae non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit; dabit qui dormivit cum ea patri puellae quinquaginta siclos argenti.* Sanctus vero Antoninus 2. p. t. 5. Cap. 6. ita scribit: *In foro conscientiae, si deflorat eam voluntariam non tenetur ei. Patri autem tenetur, quia injuriatus est. Unde ei in aliquo satisfaciat, vel saltem eum placet.*

(4) Veluti si sit magna disparitas natalium inter utrumque; si timeantur scandala, rixae, dirae contentiones in familiis, et aliquid aliud simile; tunc enim tenetur puellam dotare, vel decenter de nuptiis providere.

nium non promisit, in rigore non tenetur, nisi ad damna ei causata; melius tamen esset si illam duceret in uxorem, ut sic, deflorata ab injuria penitus liberaretur; quinimo, sententia Judicis, potest obligari ad illam dotandam, et ducendam in uxorem, quo in casu teneretur id facere in conscientia. Quod si parentes illius, tali matrimonio, justis de causis, repugnarent, tunc tenetur solum illam dotare (1).

Q. *Quid dicendum si stuprator., virginem defloravit sub promissione Matrimonii?*

R. Tenetur eam ducere, etiamsi ficte promisisset, uti docent Doctores (2).

Q. *Quid dicendum si puella putabatur virgo, sed revera erat jam corrupta?*

R. Si concubitu suo injusto vir eam diffamavit, ita ut damna illi fuerint secuta, et tunc etiam tenetur ad damna; quia talium damnorum ipse fuit

---

(1) Id manifeste patet ex Sacra Scriptura, et jure Canonico. In Exodo namque Cap. XXII. v. 16. ita praecipit Deus: *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam in uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* In jure autem Canonico Cap. I. *de Adulteriis* idipsum, et iisdem verbis, statutum habetur.

(2) Et ratio est, ait P. Anacletus Tract. IX. de Praec. Decal. dist. IV. q. 3. Conclus. 3. n. 26. Quia » vel sincere promisit corruptor Matrimonium, et tunc » tenebitur vi promissionis; nam omne promissum ca» dit in debitum: vel ficte, et tunc tenebitur ratione » injustae deceptionis, atque subsecutae laesionis ». Hoc autem semper intelligendum est, ut paulo ante monuimus, dummodo nihil aliud obstet ad licite, et uti decet, Matrimonium contrahendum. Consul. S. Alphonsus a Ligorio Lib. 3. Tract. 5. de septimo decal praec. C. 3. de Rest. d. 6. art. 4. §. 2. ubi plura de hac materia.

vera causa; Si vero nulla damna illi obvenerunt, ad nihil tenetur (1).

Q. *Quid est Adulterium?*

R. Adulterium est alieni thori violatio.

Q. *Quotuplex est Adulterium?*

R. Adulterium duplex est; *simplex* nempe, et *duplex*. Adulterium simplex est concubitus viri uxorati cum muliere soluta; vel mulieris uxoratae cum viro soluto; Adulterium vero duplex, est concubitus uxorati cum uxorata.

Q. *Si mulier, consentiente marito, habet copulam cum alio, committit ne adulterium?*

R. Affirmative. Nam licet ob mariti consensum nulla fiat ei injuria, fit tamen injuria ipsi Sacramento Matrimonii, cujus vinculum violatur (2).

Q. *Quale peccatum est adulterium?*

R. Adulterium est peccatum gravissimum, omni jure, sub gravissimis poenis prohibitum (3). Et qui-

---

(1) Idipsum de vidua dicendum esse, docent non pauci, quando ex copula cum ea, per vim habita, infamiae notam ea contraxit, ita ut non possit alteri postea decenter nubere.

(2) Merito propterea damnata fuit ab Innocentio XI. sequens Prop. 1. in ord. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

(3) Et sane jure Divino, in Veteri Lege adulteri, poena lapidationis afficiebantur. In Levitico enim Cap. XX. v. 10. habetur: *Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et moechus et adultera.* Jure Civili Legis Juliae, adulterii poena, erat ultimum supplicium. *Ita l. quamvis 30. §. fin. Cod. ad leg. Juliam de Adult.* etc. Hodie in hoc Neap. Regno, juxta Codicem novissimum Lib. II. Tit. VII. Cap. 1. n. 326. tam adultera quam adulter, convicti de adulterio in judicio poenali, cum secundo ad tertium gradum car-

dem Adulterium simplex duplex continet peccatum; nempe contra castitatem, et contra justitiam; adulterium vero duplex tria complectitur peccata; nempe unum contra castitatem, et duo contra justitiam.

Q. *Ad quid tenetur adulter?*

R. Si ex adulterio nullum damnum est secutum, ad nihil tenetur; si vero nata est proles, tunc tenetur adultera primo triennio illam alere; a triennio vero in posterum, tenetur adulter (1). Si vero dubitatur sit ne proles ex adulterio, vel ex legitimo concubitu, et tunc tenetur adulter, pro rata dubii, juxta virorum prudentum judicium, satisfacere. Justum enim non est, quod praejudicio innocentis, cedant damna omnia, a nocente adultero injuste causata.

Q. *In casu quo proles spuria reputatur legitima, quid agere debet mulier adultera?*

R. In tali casu tenetur adultera relinquere filiis legitimis quantum, de suo, relinquere poterat extraneo; debet, quantum sui status conditio, et vires ferunt, laborare, atque lucrum inde perceptum illis dare; et si signa verae vocationis in filio spurio perspexerit, suadere illi, ut aliquam Religionem ingrediatur; uno verbo, modis omnibus procurare debet, ut filiis legitimis damna non inferantur.

Q. *Quid agendum si mulier adultera compensare nequeat damna filiis legitimis causata?*

R. Adest dissidium inter Doctores (2).

---

ceris puniuntur. Jure autem Ecclesiastico, pro temporum verietate, variis poenis adulteri subjecti fuere. Consule P. Lucium Ferraris V. *Adulterium* Art. II.

(1) Ita communiter.

(2) Dicunt aliqui, debere manifestare filio spurio crimen suum. Verum ad hoc, dicunt alii, ordinarie non est obliganda; quia hoc medium, ultraquam quod esset causa multorum malorum, infamiae praesertim, rixae, scandali etc., est prorsus inutile. Nam filius non tenetur

CAPUT III.

De Incestu, et Raptu.

Q. *Quid est Incestus?*

R. Incestus, stricte sumtus (1), est concubitus cum consanguinea, vel affini intra gradus a jure prohibitos.

Q. *Quaenam ergo conditiones ad Incestum, stricte sumtum, requiruntur?*

R. Sequentes requiruntur conditiones; 1. Quod personae sint consanguinitate, vel affinitate conjunctae; 2. Quod copula viri cum foemina, sit consumata, et perfecta; 3. quod copula habeatur cum consanguinea, vel affini, intra gradus a jure prohibitos; et 4. Quod intercedat malitia moralis.

Q. *Quale peccatum est Incestus?*

R. Incestus est peccatum mortale gravissimum, quod non solum virtuti castitatis opponitur, sed etiam Pietati, personis consanguinitate, vel affinitate conjunctis, debitae (2).

---

credere matri, etiam juranti, se esse spurium, nisi id validissimis argumentis probetur. Quibus autem argumentis poterit id mater probare, quoties filius, communi opinione, legitimus putatur? Vid. Luc. Ferraris V. Adulterium Art. V. n. 1. et seq. S. Alphonsus a Ligorio Theol. Moral. Lib. III. Tract. V. de VII. Praec. Decal. Cap. II. de Rest. Dub. 4. art. 5. q. 1. n. 653.

(1) Dicitur *stricte sumtus*; nam non pauci, et quidem, magni nominis Theologi, Incestum generatim dicunt, peccatum luxuriae cum persona consaguinitate, vel affinitate conjuncta intra gradus a jure prohibitos. Quo in sensu, etiam tactus, amplexus, oscula etc. inter has personas, nomine incestus veniunt.

(2) Quare in Levitico Cap. XX. vocatur *scelus*, *nefas*, *turpitudo*, *res nefaria*; et variis incestuum gra-

Q. *Incestus commissi inter diversos consanguinitatis, vel affinitatis gradus, sunt ne ejusdem speciei?*

R. Non conveniunt inter se Doctores (1).

Q. *Quomodo se gerere debet qui accedit ad pedes Confessarii ut confiteatur a se commissum incestum?*

R. Quidquid sit de supradicta quaestione, num incestus inter diversos consanguinitatis, vel affinitatis gradus sint ejusdem, vel diversae speciei, fere omnes Doctores tenent, incestus juxta diversos gradus consanguinitatis, vel affinitatis esse in confessione exprimendos; Quapropter poenitens confiteri volens incestum a se commissum, ut rite confiteatur, debet ex-

---

dibus poena mortis statuitur. Et Apostolus Paulus, uti legitur in ejus Epist. I. ad Corinth. Cap. V. v. 5, Corinthium quemdam incestuosum, in tanti facinoris poenam, Sathanae tradidit; *Hoc est*, ut explicat S. Thomas Comment. in hunc loc. *per excommunicationis sententiam, per quam aliquis separatur a communione fidelium, et a participatione Sacramentorum, et privatur Ecclesiae suffragiis, quibus homo munitur contra impugnationem Sathanae.*

(1) Sunt namque qui volunt, omnes esse ejusdem speciei, alii e contra sustinent esse diversae. Sunt qui dicunt, Incestum cum consanguineis differre specie ab incestu cum affinibus; atque hoc alii generaliter non probant, sed excipiendum putant incestum inter Privignum et Novercam, atque inter Socerum et Nurum. Sentiunt alii, solum incestum cum consanguineis in primo gradu tam lineae rectae, quam lineae transversalis, specie differre ab aliis gradibus. Docent tandem alii, omnes incestus inter consanguineos esse ejusdem speciei, excepto tantum primo gradu in linea recta. Videatur S. Alphonsus de Ligorio Lib. VII. De Sacr. Poen. C. 1. de essen. hujus Sac. D. 3. Art. I. n. 496. Item Concina Lib. VIII. in Decal. Dissert. II. de Meretricio Cap. X.

primere gradum consanguinitatis, vel affinitatis personae cum qua commisit incestum; quia dato etiam quod incestus sint omnes ejusdem speciei, malitiam tamen notabiliter aggravant; unde in confessione aperiendi sunt (1).

Q. *Quid agere debet qui post copulam incestuosam, vult contrahere Matrimonium in gradu prohibito?*

R. Si tam copula, quam gradus sunt occulti, debet pro dispensatione, ad Sacram Poenitentiariam recurrere. Si vero gradus est publicus, copula autem occulta, tunc prius debet recurrere ad Datariam et petere dispensationem gradus; postea debet recurrere ad Sacram Poenitentiariam et petere dispensationem impedimenti orti ex copula incestuosa occulta (2).

Q. *In quam poenam incidunt qui committunt incestum?*

R. Qui committit incestum cum consanguinea suae uxoris, ob contractam affinitatem cum sua uxore, ammittit jus ad petendum debitum conjugale; potest tamen reddere (3). In hac vero Dioecesi Neapolitana, qui committunt incestum cum conjunctis in primo, vel secundo gradu Consanguinitatis, vel affinitatis incidunt in casum Ordinario reservatum cum

(1) Ut ergo poenitens obligationi suae satisfaciat, aperire debet Confessario, an incestum commiserit cum Matre, vel Noverca; an cum filia, vel cum sorore, vel cum Matertera; an cum cognata germana, vel alia, et sic de aliis. Item exprimere debet an rem habuerit cum affine, vel cum cognata spirituali, vel legali. Item ne cum Filia Confessionis etc.

(2) Vid. P. Ferraris V. *Luxuria* n. 18.

(3) *Transeamus* 4. *Tuae fraternitatis* 10. *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae Cap. Si quis viduam* 3. *Cap. Qui dormierit* 21. *Cap. Concubuisti* 23 *Causa* 32. *q.* 7.

excommunicatione; ita tamen quod in reservatione, viri tantum, non mulieres comprehendantur (1).

Q. *Quinam possunt dispensare super impedimento proveniente ex contracta affinitate, ratione copulae habitae cum consanguinea, vel affini, etiam in primo, et secundo gradu alterius conjugis?*

R. Possunt Episcopi (2), et omnes Confessarii approbati Regularium Mendicantium, de licentia tamen, et speciali commissione Superioris Provincialis, nec non omnes illi, qui cum ipsis communicant (3).

---

(1) Id totum patet ex verbis Casus IX. in I. Tabella Casuum Reservat. cum excomm. Quae ita se habent. *Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo, gradu Consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem si vere sint poenitentes, a quocumque Confessario a Nobis approbato absolvi possunt, gravi tamen imposita poenitentia salutari, et dummodo occasio proxima, facta sit, salutaribus mediis, moraliter remota.*

(2) Licet namque id Episcopi, jure ordinario non possint; vigore tamen consuetudinis, et praxis communis, secundum quam omnes Episcopi, scientibus Pontificibus, et non reclamantibus, quoad hoc jus petendi, dispensant; scimus enim, consuetudinem praescriptam dare jurisdictionem, uti constat ex *Cap. Cum contingat* 13. *de foro competenti*.

(3) Et sane Pius V. vivae vocis oraculo, tale Privilegium nobis Franciscanis de Observantia concessit, cujus haec sunt verba: *Possunt dicti Confessarii, si sint viri docti et in forma Concilii Tridentini approbati, ex commissione Provincialis, dispensare in foro conscientiae ad petendum debitum cum his, qui consangnineam, vel affinem sui conjugis post matrimonium cognoverunt.* Ex quibus verbis clare patet, tria requiri in Religioso, ut licite, et valide talem concedat dispensationem; 1. nempe quod sit Confessarius, et quidem doctus, atque in forma Concilii Tridentini approbatus; 2. ut de speciali licentia et facultate Provincialis, aut Generalis id faciat; et 3. ut dispenset in foro conscientiae. Licet non

Q. *Quid est Raptus?*

R. Raptus, hoc loco (1), est violenta abductio personae de uno in alium locum, explendae libidinis causa.

Q. *Quale peccatum est Raptus?*

R. Est peccatum gravissimum, non solum contra castitatem, ratione caussae finalis, qualis est libidinis consumatio; sed etiam contra justitiam, ob violentiam factam tam personae abductae, quam parentibus ejus, sub quorum potestate illa est.

Q. *Quaenam sunt poenae adversus Raptores statutae?*

---

desunt, et quidem magni nominis Theologi, quos sequitur noster P. Anacletus Reinfestuel ***Lib. IV. Decretal in append. de dispens. super Impedimentis n.*** 577 *et seq.* qui expresse sustinent, posse Confessarios Regulares, etiam sine speciali commissione Provincialis, vel Generalis dispensare in tali Impedimento. Vid. P. Ferraris, qui de hoc fusius pertractat V. ***Debitum Conjugale*** Art. 2. n. 12.

(1) Dicimus 1. *hoc loco,* quia Raptum, hic, consideramus, prout est luxuriae species, non vero uti est impedimentum dirimens Matrimonii, de quo suo loco. Dicimus 2. *violenta abductio*, quia si in abductione deest vis illata vel personae abductae, vel ejus parentibus, sub quorum cura est, atque potestate, non erit raptus, sed simplex fuga. Dicimus 3. *personae,* quia non solum committit raptum qui rapit mulierem sive Virginem, sive viduam, sed etiam qui masculum abducit, ut cum eo libidinem expleat. Dicimus 4. ***de uno in alium locum***, hoc est de loco qui extat sub patria potestate ad alium locum qui est sub potestate raptoris. Dicimus 5. ***explendae libidinis causa***, quia si mulier, aut masculus abducatur vel servitutis causa, vel fine extorquendi pecuniam ab illius parentibus, tunc non erit proprie raptus, sed vel plagium, vel retentio obsidis.

R. In Veteri Lege erat poena mortis (1). Jure autem Canonico raptores mulierum, si sunt Clerici, deponuntur; si vero Laici excommunicantur, ac perpetuo infames declarantur cum omnibus, ipsis, consilium, auxilium, aut favorem praebentibus; atque insuper tenentur, mulierem raptam, sive in uxorem duxerint, sive non duxerint, decenter, arbitrio judicis dotare (2). Jure Civili variis olim, et gravissimis poenis subjecti fuere, etiam poena mortis (3). Jure autem novissimo Neapolitani Regni, poena reclusionis mulctantur (4).

---

(1) In Deuteronomio enim Cap. XXII. v. 23. habetur: *Vir, qui desponsatam puellam apprehendens concubuerit cum ea, ipse moriatur*; Ergo a fortiori si illam violenter de uno in alium locum abduxerit, explendae libidinis causa.

(2) Ita statutum habetur a Tridentina Synodo Sess. 24. Cap. de Ref. Matrim., ubi sic legitur: *Raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium, aut favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si Clerici fuerint, de proprio gradu decedunt. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter, arbitrio Judicis, dotare.*

(3) Hinc Codex Theodosianus, infusione liquati plumbi, plecti edicit, qui mulierem sive invitam rapuerit, sive volentem abduxerit; et Justinianus, poena capitis plectendos esse statuit, non solum raptores, sed et eorum fautores, et adjutores. Ex quibus patet, quam grave, atque detestabile sit peccatum Raptus.

(4) Ita ex Cod. P. II. art. 336.

CAPUT. IV.

De Sacrilegio.

Q. *Quid est Sacrilegium?*

R. Sacrilegium, prout in praesenti materia accipitur, est personae (1), vel rei sacrae (2) violatio per actum luxuriae (3).

Q. *Quale peccatum est Sacrilegium hujusmodi?*

R. Sacrilegium est peccatum gravissimum, et quia contra virtutem castitatis, et quia contra Religionem (4).

---

(1) *Personae Sacrae*; hoc est voto simplici, vel solemni castitatis Deo consecratae.

(2) Rei sacrae, hoc est Ecclesiae sive consecratae, sive solum ab Episcopo benedictae, et Divino cultui dedicatae; sicuti etiam Coemeteria, et Cappellae, Episcopi auctoritate, ad cultum Dei deputatae.

(3) Quare sacrilegium est impudicus concubitus 1. personae sacrae cum sacra; 2. personae sacrae cum non sacra; 3. personae non sacrae cum sacra; 4. personae sive sacrae, sive non sacrae in loco sacro; et 5. rerum sacrarum, et ad Dei cultum deputatarum, per actum luxuriae prophanatio.

(4) Immo tale peccatum est, ut in uno sacrilegio, docet Angelicus Doctor, possint esse diversae species luxuriae, ob diversas deformitates, quae in uno et eodem actu concurrunt. Scribit namque 2. 2. q. 144. n. 10. ad 2. *Sacrilegium est species luxuriae secundum, quod ordinatur ad alterius vitii finem, et potest concurrere cum diversis luxuriae speciebus. Si enim aliquis abutatur persona conjuncta sibi secundum spiritualem cognationem in Baptismo, et Confirmatione, committit sacrilegium ad modum incestus; si autem abutatur, virgine Deo sacrata, in quantum est sponsa Christi, est Sacrilegium per modum adulterii: si quantum vero est sub spiritualis Patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum; et si violentia inferatur, erit spiritualis raptus, qui etiam secundum Leges Civiles gravius punitur, quam alius raptus.*

Q. *Quotuplex est Sacrilegium?*

R. Triplex est; scilicet *Personale*, *Locale*, et *Reale*. *Personale* erit, quoties copula habetur cum persona sacra, ligata voto solemni, vel simplici castitatis. *Locale*, quoties mediante copula, locus violatur ad Sacra deputatus, Episcopi auctoritate. *Reale* tandem, quoties per copulam, vel alium actum luxoriosum, res violatur nullum habens usum, nisi sacrum.

Q. *Quibus poenis solitum fuit mulctari carnale Sacrilegium committentes?*

R. In Lege Veteri gravissimis poenis afficiebantur (1). Lex autem Canonica, Clericos in peccatum carnis lapsos a suo gradu dejicit (2), Monachos vero, et Moniales a Monasterio eliminat, et carceri addicit (3).

Q. *Quot peccata committit Sacerdos religiosus professus violando castitatem?*

R. Committit unum peccatum mortale, gravius

---

(1) Hinc de filiis Heli sacrilegis, qui dormiebant cum mulieribus, quae observabant ad ostium Tabernaculi, legitur I. Regum Cap. II. v. 25. quod *non audierunt vocem Patris sui*, qui eos a tali facinore patrando deterrebat, *quia voluit Dominus occidere eos*; sicuti de facto interfecti fuerunt a Philisteis.

(2) Ita S. Greg. Lib. III Epist. 26 ad Januarium. *Clericus, qui post acceptum sacrum Ordinem, in peccatum carnis lapsus fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad Altaris ministerium ulterius non accedat.*

(3) Uti ex Canone *Impudicas*, in quo ita habetur: *Impudicas detestabilesque personas Monachorum et Monacharum, quae abjecto proposito sanctitatis, illicita et sacrilega contagione se miscuerunt, a Monasteriorum coetu, Ecclesiarumque conventibus eliminandos esse mandamus.* Neque de hoc mirandum, cum constet, ipsos Gentiles adeo Sacrilegium detestasse, ut Vestalis filiam corruptam, vivam sepelierint.

quidem (1) ac si esset vel solum Sacerdos, vel Religiosus tantum professus. Duplex namque votum castitatis, quo est obstrictus, obligans sub eodem motivo formali, cum violatur, unum peccatum committitur.

Q. *In materia luxuriae datur ne Sacrilegium altero gravius?*

R. Affirmative. Nam idem peccatum crescere potest vel ratione personae, vel ratione loci. Adeoque quo persona est magis Deo sacra, et locus est Sanctuario propinquior, eo major injuria irrogatur Deo totius Sanctitatis fonti; et consequenter gravius est sacrilegium quod committitur (2).

Q. *Committit ne Sacrilegium, qui in loco sacro copulam habet cum propria uxore?*

R. Dissidium est inter Doctores. Quidam enim absolute negant; quidam e contrario absolute concedunt. Quidam vero solum concedunt in aliqua urgenti necessitate, puta tempore Belli; vel in circumstantia alia, in qua uxoratus longo tempore coactus fuisset morari in loco sacro (3).

---

(1) Cum namque votum solemne castitatis sit majoris obligationis, atque excellentiae prae voto castitatis annexo Ordini Sacro, gravius peccat Religiosus violans castitatem; adeoque debet exprimere in confessione, se esse sacerdotem Religiosum, ut sic conscientiae suae bene consulat.

(2) Quare gravius est sacrilegium, quod committitur ab utraque persona Deo sacra, quam si committeretur ab una tantum persona Deo consecrata. Gravius est sacrilegium Sacerdotis, Diaconi, vel Subdiaconi Religiosi, quam Sacerdotis, Diaconi, vel Subdiaconi saecularis. Gravius est sacrilegium cum persona voto solemni Deo dicata, quam cum persona voto tantum simplici ligata.

(3) Quamvis autem haec postrema sententia communior sit, non satis tamen ab aliquibus approbatur.

Q. *Si quis voto castitatis obstrictus, alium ad peccandum inducit in loco sacro, committit ne Sacrilegium?*

R. Non conveniunt inter se Theologi; sed communior sententia tenet, sacrilegium committere (1).

Q. *Peccant ne peccato sacrilegii, qui in Ecclesia tactus solummodo impudicos inter se habent, vel oscula; aut nutus et signa faciunt ut ad libidinem provocent?*

R. Affirm. Nam reverentia, et obsequium domui Dei debitum, talia prorsus condemnant, atque abbominantur.

Hinc P. Concina Lib. VIII. in Decal. Dissert. 2 de Meretricio Cap. XI. n. 12. ita scribit: « Quid quod cum » tempore Belli, et obsidionis Dei vindictam homines » experiantur, placare Divinae justitiae furorem, tunc » conjugati cum caeteris deberent, potius poenitentia, jejuniis, corporis, animique afflictionibus quam copulae conjugali indulgere? Tantum abest igitur ut ea » conditio temporis, ipsos excusaret copulam habentes » in loco sacro, quia calamitas temporum magis ipsorum conjugales copulas redargueret. Recentiores autem Probalistae, qui talem copulam in his circumstantiis a sacrilegio et profanatione purgant, concupiscentiae, non Divino cultui favere videntur, ut ego » quidem arbitror. Oscula vero et amplexus inter conjugatos, in mutuae benevolentiae testimonium, tempore » diuturnae morae in Ecclesia, si modeste, et absque » scandalo fierent, nec sacrilegii, nec peccati damnarem ».

(1) Vid. Concina ut supra Q. III. n. 8.

CAPUT V.

De Sollicitatione ad turpia.

Q. *Quid est sollicitatio?*

R. Sollicitatio, hoc loco, est provocatio, sive istigatio ad inhonesta, et turpia, facta poenitenti a Confessario vel signis, vel verbis, vel scripto, vel factis.

Q. *Quale peccatum est Sollicitatio?*

R. Est *impium, ac nefandum scelus*, ait Gregorius XV (1), *quod non solum inter Christianos esse, sed nec etiam nominari debet.* Peccatum, quod plura peccata simul secum socia babet. Sollicitans enim peccat 1. contra castitatem, quia ipsam violat; 2. peccat contra Religionem tum ratione voti quod frangit, tum ratione Sacramenti cui injuriam infert, abutendo tam turpiter de illo; 3. contra charitatem, ratione scandali, quod dat suae poenitenti; et si poenitens est uxorata, peccat quoque contra justitiam; 4. tandem, juxta aliquos, peccat etiam contra pietatem, ratione spiritualis conjunctionis cum poenitente (2).

---

(1) In Bulla: *Universi Dominici Gregis etc.* Anno 1622. edita.

(2) Non immerito propterea Summi Pontifices, signanter Pius IV. Const. quae incipit: *Cum sicut nuper;* Paulus V. Const: incip: *dilecte* fili; Gregorius XV. Bulla incip. *Universi Domini Gregis*; Benedictus XIV. Const. *Sacramentum Poenitentiae*, contra Confessarios sollicitantes tam acriter, atque vehementer invecti sunt; *ut scilicet a fidelibus tam enorme facinus procul arceatur*: *videlicet ut aliquis Sacerdos*, *sequitur* laudatus Pontifex Gregorius XV. ibid. *ad Sacras audiendas confessiones deputatus*, *Sacrosancto Poenitentiae Sacramento*, *sollicitando Poenitentes ad turpia*, *abutatur*,

Q. *Quot sunt sollicitationis capita?*

R. Ex Bulla Gregorii XV. (1) sunt septem; nempe 1. in actu Confessionis sacramentalis (2); 2. immediate ante; 3. immediate post Confessionem (3);

---

ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex Coelesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali, proditor execrabilis animarum reddatur. Et Benedictus XIV. in dicta Const. hujus severitatis rationem afferens, inquit: *Ne aliqui Sacerdotes Poenitentiae Sacramento nefarie abutentes, poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes se a Christo Domino Praesides, et judices animarum constitutos, ea sanctitate, quae sublimitati, dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent.*

(1) Mox laudata in Nota n. 1. antec., in qua ita legitur: *statuimus, decernimus, et declaramus, quod omnes, ac singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam Regulares, cujuscumque dignitatis etc., qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel praetextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionale, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, seu tractatus habuerint; in Officio S. Inquisitionis severissime, ut infra puniantur.*

(2) Hoc est, dum poenitens actu confitetur peccata sua Confessario, qui actu est intentus ad illius Confessionem audiendam, et sic inter confitendum, illam sollicitat ad turpia.

(3) *Immediate ante*; hoc est, cum genuflexo ante pedes Confessarii poenitente, ut confiteatur, Confessarius

4. Occasione Confessionis (1); 5. praetextu Confessionis, etiam ipsa Confessione non secuta (2); 6. In Confessionali, etiam extra occasionem Confessionis; (3) in loco ad Confessiones Sacramentales audiendas destinato, aut electo, simulantes Confessiones ibidem audire (4).

Q. *Quinam veniunt nomine sollicitantium?*

R. Omnes, et singuli Sacerdotes tam saeculares, quam Regulares, cujuscumque Ordinis, atque Instituti, licet Confessarii approbati non sint; dummodo in aliquod ex septem sollicitationis Capitibus, sollicitent (5).

---

antequam ille confiteri incipiat, sollicitat. Immediate post, scilicet, paracta Confessione, et dimittens poenitentem Confessarius, illum sollicitat; vel post Confessionem accedentem illum ad ejus manum deosculandam, Confessarius sollicitat.

(1) Scilicet, cum Confessarius ad audiendum domi Confessionem mulieris aegrotantis accessitus, illam sollicitat. Vel cum ex auditis in Confessione, occasionem sumit illam sollicitandi.

(2) Quando ficto colore, aut velamine Confessionis, etiamsi Confessio revera non sequatur, Confessarius ad turpia poenitentem provocat.

(3) Uti esset si Confessarius sedens in Confessionario, loco scilicet ad audiendas tantum Confessiones destinato, turpiter cum aliqua persona coram se stante, aut sedente loqueretur; vel signis, nutibus, aliisque gestibus aut actibus impudicis, illam ad turpia provocaret.

(4) Uti esset in genuflexorio, quod in Sacristia esse solet pro praeparatione Sacerdotum ad Missam celebrandam, ubi quandoque audiri solent Confessiones; aut alio loco quocumque, puta sede, scamno sive in Ecclesia, sive in Sacristia, sive in Choro ab ipso Confessario, pro lubito constituto, simulantes ibi Confessionem audire.

(5) Quare Laicus fingens se Confessarium, et sollicitans, non comprehenditur inter personas sollicitan-

Q. *In quam poenam incidunt Sacerdotes sollicitantes?*

R. Jure communi incidunt in poenam denunciationis, faciendae vel Inquisitoribus, ubi Sacrae Inquisitionis Tribunal existit, vel Ordinario loci, in quo accidit sollicitatio; et si sollicitant in actu, vel praetextu, aut occasione Confessionis, incidunt etiam in perpetuam inhabilitatem ad Sacrificium Missae celebrandum (1). In Dioecesi vero hac Neapolitana, Confessarius si est saecularis, etiam Parochus, incidit ipso facto in excommunicationem Ordinario reservatam; si vero est Regularis, incidit in suspensionem ab audiendis Confessionibus eidem reservatam (2).

Q. *Quinam tenentur Confessarios sollecitantes denunciare?*

R. Tenentur in primis personae sollicitatae cu-

---

tes; neque ipsi poenitentes si Confessarium sollicitent. Bulla enim laudata, loquitur tantum de Sacerdotibus; ait namque: *Omnes et singuli Sacerdotes tam Saeculares, quam etc.*

(1) Ita ex decreto Sanctae Inquisitionis die 5. Augusti Anno 1745. de mandato Bened. XIV. edito, uti ex ejus Bullario Tomo I. in append. n. 8. pag. 46. quod incipit: *In generali Congregatione*; quae tamen inhabilitas est ferendae sententiae, ut ex responsione Sacrae Poenitentiariae ad Auctorem *Instructionis practicae, ad Confessarios.*

(2) Ita ex VII. Casu reservato cum excommunicatione; cujus haec sunt verba: *Confessarii omnes, etiam Parochi, ad inhonesta personam quamcumque, sive in actu Confessionis, sive ante, vel post immediate, aut praetextu, vel occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta, vel extra Confessionem in Confessionalibus sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero Censuram Suspensionis ab audiendis Confessionibus, quam ipso facto incurrunt, Nobis tantummodo reservamus.*

juscumque sexus sint, et conditionis; scilicet sive mares sint, sive faeminae; sive nobiles, sive plebei. Item tenentur illi qui vel propriis oculis viderunt, aut auribus audierunt sollicitationem a Confessario poenitenti factam. Tenentur etiam illi qui vel immediate ab ipsis personis sollicitatis, fide dignis; vel a Confessoribus sollicitantibus, etiam sub secreto naturali sciverunt. Tandem, juxta probabiliorem sententiam, tenentur illi quoque, qui a tertia persona, fide tamen digna, auditu immediato, sciverunt (1).

Q. *Debent ne denunciari illi sollicitantes, qui jam sunt emendati, vel sunt mortui?*

R. Si sollicitantes mortui sunt, cessat obligatio eos denunciandi; secus, etiamsi fuerint emendati, et tempus quoque longum a sollicitatione effluxerit, debent denunciari (2). Nam obligatio denunciationis non est imposita tantum, ut sollicitantes corrigantur; sed praecipue ut puniantur damna, et scandala, quae ex tali crimine solent Ecclesiae, et animabus fidelium obvenire.

Q. *Si poenitens est legitime impeditus sive physice, sive moraliter, excusatur a facienda denunciatione?*

R. Excusatur a facienda denunciatione personaliter, non autem totaliter. In casu enim legitimi impedimenti, debet monere judicem per internuncium, ut mittat aliquam personam ad recipiendam informationem cum juramento, et subscriptione (3). Ad quod

(1) In Edicto namque Universalis Inquisitionis, haec verba leguntur: *Qui sciverit, vel audiverit.*

(2) Uti patet ex his verbis supradictae Const. Bened. XIV. *Vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit.*

(3) Ita ex Decreto Sacrae Cong. jussu Urbani VIII. edito 27. Septemb. Anno 1644. apud Bord. Cap. 23. de sollicit. n. 89. cujus haec sunt verba: *E quando il pe-*

satis expediens est ut delegetur, seu mittatur Confessarius.

Q. *Debet ne denunciari Confessarius, qui in Confessione dat chartam poenitenti, postea legendam, in qua continentur obscoena?*

R. Utique debet; nam talis chartae traditio est vera sollicitatio facta in Confessione (1).

Q. *Est ne denunciandus Confessarius, si poenitens non consenserit sollicitationi?*

R. Affirmative. Nam Confessarius, quantum in se fuit, sollicitationem implevit (2).

Q. *At si poenitens Confessarium sollicitavit, et Confessarius solum sollicitationi consensit?*

R. Quidquid aliqui dicant, etiam est denunciandus, si non ut sollicitans, saltem ut habens inhonestos tractatus, ac sermones cum poenitente.

Q. *Si Confessarius non pro se, sed pro alia persona poenitentem sollicitat, est ne denunciandus?*

R. Est denunciandus (3).

---

nitente tuttavia persiste nella medesima renitenza N. S. si contenta, che dal Vescovo, o Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricercare per scrittura, e con giuramento, la denunzia per portarla subito a chi avrà l' autorità di pigliarla.

(1) Hinc merito damnata fuit ab Alex. VII. sequens Prop. n. 6. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit chartam postea legendam, in qua ad venerea incitat, non censetur sollicitare in Confessione, ac proinde non est denunciandus.*

(2) Et clare patet ex verbis supradictae Bullae: *Sollicitare, vel provocare tentaverit... sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit.*

(3) Verba namque supradictae Bullae super hoc: *sive inter se, sive cum aliis, quomodocumque perpetranda*, clara sunt.

Q. *Quid si Confessarius ad actus tantum venialiter malos sollicitat, puta si manus, aut pedes poenitentis tangat?*

R. Etiam est denunciandus, quia dato quod isti actus extra Sacramentum Poenitentiae possint existimari peccata venialia; si fiunt tempore Confessionis, gravem injuriam irrogant Sacramento; adeoque peccata mortalia evadunt; ut docent communiter Theologi.

Q. *Cui facienda est denunciatio si sollicitans non est subjectus Inquisitoribus, ac Episcopo?*

R. Facienda est Summo Pontifici, si commode fieri potest; alias facienda est Inquisitoribus, qui esto non possint sollicitantem punire, neque contra ipsum processum formare, possunt tamen accipere, de tali crimine, informationem, et illam Pontifici significare (1).

Q. *Quid dicendum si mulier sollicitata confiteatur eidem Confessario, a quo fuit sollicitata, et ab eo absolutionem obtineat?*

R. Ipsa non evadit obligationem denunciandi (2), et absolutio ab illo Confessario obtenta est nulla (3);

---

(1) Ita ex Extrav. *Cum Matthaeus de haereticis.*

(2) Uti constat ex Prop. 3. ab Alexandro VII. damnata, cujus haec sunt verba; *Modus evadendi obligationem denunciandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.*

(3) Nam talis Confessarius, ipso jure, est privatus quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, uti constat ex Constitut. Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae*, in qua praefatus Pontifex ita loquitur; *Auctoritate Apostolica, et nostrae Potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus ne aliquis eorum* (scilicet Confessariorum sollicitantium) *extra casus extremae ne-*

Quinimmo Confessarius absolvens talem complicem in re venerea, de jure communi, incidit in Excommunicationem Papae reservatam tam si est Saecularis, quam Regularis (1). De jure vero Dioecesis Neapolitanae, sive Saecularis, sive Regularis incidit in suspensionem ab audiendis Confessionibus Ordinario reservatam (2); et etiam juxta plures, in excommnnicationem pariter Ordinario reservatam, si est Confessarius saecularis.

Q. *Saltem vi Jubilaei, vel Sanctae Cruciatae poterunt Confessarii absolvere poenitentes, quos sollicitaverint, et complices in re venerea?*

---

cessatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere oudeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impartierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria, privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus.

(1) Ita enim habetur in supradicta Constit., quae his verbis sequitur;

Si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

(2) Hoc patet expresse ex Casu VIII. in Tabella cum excommunicatione reservato, qui sequens est: *Confessarii omnes, etiam Parochi, attentantes praedictas personas, et quascumque alias, cum quibus, extra antedictos casus, quomodolibet, a peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere: Qui omnes etiam Regulares, etiam in Censuram Suspensionis ab audiendis Confessionibus, ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservatam.*

R. Non possunt (1).

Q. *Datur ne casus, in quo Confessarius sollicitans possit absolvere poenitentem, aut complicem in re turpi?*

R. Potest in articulo mortis, et dummodo non sit alius Sacerdos, qui posset moribundum audire; vel esset quidem, sed Confessarius complex declinare non posset sine scandalo, vel infamia (2).

Q. *At quid dicendum si Confessarius complex, cum possit declinare absque scandalo, et infamia, non vult, et confessionem complicis excipit, et illam absolvit?*

R. In tali casu Confessarius peccat, et incidit in poenas; absolutio tamen declaratur valida, aliter salus aeterna moribundi periclitaretur (3).

Q. *Si Poenitens non potest probare sollicitationem, tenetur ne Confessarium sollicitantem denunciare?*

R. Adhuc tenetur, quia ad denunciationem non requiritur probatio, sicuti requiritur in accusatione.

---

(1) In laudata quippe Const. Benedicti XIV. expresse id prohibetur. In ea quippe ita sequitur Pontifex: *Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, aut alterius cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicis quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri; Cum ad effectum, et in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, et Poenitentis genere jurisdictione, ut prefertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, et approbato.*

(2) Uti constat ex praedicti Pont. Const., et insuper ex alia ipsius declaratione super Poenitentiae Sacramentum Anno 1745. editam, quae incipit: *Apostolici muneris* etc.

(3) Ita ex modo laudata Declaratione.

Q. *Poenitens fuit sollicitatus a Confessario, sed dubitat an talis Csnfessarius fuerit Titius vel Cajus, tenetur ne ad denunciationem?*

R. Quoties certus est de sollicitatione, et dubius est de persona, tenetur denunciare. Inquisitores enim, vel Ordinarii possunt procedere ad cognoscendam personam.

Q. *Tenetur ne ad denunciandum, qui non bene recordetur verborum, quae dixit Confessarius, aut non rite ea intellexit; vel non recordetur a quibus audierit, an scilicet a personis levibus, vel fide dignis?*

R. Dissident inter se Theologi. Sed permultis, iisque gravissimis Doctoribus probabilius videtur, non teneri (1).

---

(1) Vid. Ferraris *V. Sollicitatio* n. 36. Et ratio ipsorum est, quia, ut jura loquuntur, *semper in dubiis benigniora praeferenda sunt.* Et alibi: *In re dubia benigniorem interpetrationem sequi, non minus justius est, quam tutius.*

Quidquid autem sit de his opinionibus, rectius se geret poenitens si, in talibus perplexitatibus, atque dubiis, Confessarium adeat doctum, prudentem, pium, et sui officii expertem, eique fideliter, et prout conscientia dictat, rem totam aperiat; et quidquid ille, re mature perpensa, ut par est, et tam Confessarii quam poenitentis qualitatibus, aliisque occurrentibus circumstantiis serio, et secundum Deum, examinatis, in Domino expedire judicabit, exequatur. Cautissime interim, et magna cum prudentia, in hac tam perdifficili, et maximi facienda materia, gerere se debent Confessarii, qui consuluntur; maxime si cum mulieribus agenda res est, ne seipsos, poenitentes, atque innocentes Confessarios, praecipiti judicio, perimant. Incredibile prorsus est, quot Sathan per mulieres, sub velamine vitae spiritualis, et sanctitatis deceperit, et de vasis in honorem, vasa in contumeliam, et immunditiam converterit. Nam fatali experientia compertum est, quod olim

Q. *Incidunt ne in aliquam poenam, qui nolunt denunciare Confessarium sollicitantem?*

R. Si intra mensem a delicti scientia non faciunt deuunciationem, incidunt in excommunicationem Papae reservatam (1).

Q. *Quid dicendum si Confessarius non monet poenitentem de denunciatione facienda; vel illum eximit ab onere denunciandi?*

R. Si Confessarius consulto, et malitiose id efficit, tamquam suspectus de Haeresi, denunciandus est Inquisitoribus, aut Episcopo (2). Si vero ex ignorantia hoc facit, denunciandus non est (3).

Q. *Si quis denunciando Confessarium sollicitantem prudenter, et probabiliter timeret sibi, vel suis parentibus conjunctissimis aliquod grave malum in vita, in fama, vel in facultatibus obventurum, debet ne denunciare?*

R. Sunt qui volunt adhuc teneri (4); sed pro.

Sapiens quidam dicebat; quod nempe, sunt quaedam mulierculae, quae praetextu vitae spiritualis, et majoris perfectionis, Ecclesiam, et Confessionale frequentant; sed revera, virum quem domi non habent, in Ecclesia Christi quaerunt. Consulatur S. Bonav. Tract. *Confessionale*; *et de Puritate Conscientiae* C. 15.

(1) Ita ex Decreto Sacrae Inquisitionis Generalis *die* 8. *Januarii* 1626. relato a Diana *P. IV. Tract. V. resol.* 41.

(2) Ut praecipitur in citata Bulla Greg. XV. in qua sic habetur: *Quod si hoc officium praetermiserint, vel poenitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes; ut supra, iidem locorum Ordinarii et Inquisitores, illos pro modo culpae puniri non negligant.*

(3) In dicta enim Bulla adest clausula: *Poenitentes, quos noverint sollicitasse.*

(4) Rosignol. *de Poenit. Sect.* 6. *n.* 2. Bonacina *de onere, et oblig. Denunc. Disp.* 6. *puncto* 2. *n.* 11 *in resp.* 2. *ad Obj.* 2. *aliique.*

babilius videtur, non teneri (1).

Q. *At si qui sciunt Confessarium sollicitasse, sunt ejus Parentes, puta Pater, Mater, frater, soror, tenentur ne illum denunciare?*

R. Non tenentur (2).

Q. *Incidit ne in aliquam poenam Confessarius qui extra praedictos Casus, inhoneste agit cum aliqua persona, quae sibi confitetur?*

R. In hac Dioecesi Neapolitana incidit in casum reservatum absque excommunicatione; dummodo tamen haec tria concurrant; nempe 1. Ut sollicitans sit Confessarius; 2. Ut sollicitet ad obscoena, sive impudice tractet; 3. Ut sollicitet ad turpia personam sibi frequenter confitentem, extra capita sollicitationis (3).

---

(1) » Praecepta enim humana non obligant cum » tam gravi sui, suorumque conjunctissimorum nocumento Ita P. Ferraris V. *Sollicitat.* *n.* 39. cum aliis quos citat.

(2) Vid. P. Ferra. loco citato cum aliis.

(3) En verba Casus, qui est tertius in Tabel. Casuum reserv. absq. Excom. *Confessarii omnes; etiam Curati, ad obscoena quaslibet Personas sibi frequenter confitentes, licet non immediate post, vel ante Confessionem, inducentes, seu sollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.*

Plura de hoc materia prosequi non arbitramur. Quae dicta sunt, tyroni Theologo, pro nunc sufficere poterunt. At in exercitio Officii Confessarii, haec sibi sufficere non existimet. Satis namque difficilis et implexa materia haec est, ut possit perfunctorie, et sine magna diligentia, atque studio pertractari. Quoties ergo Casus de hac materia occurrent, consulat Auctores, qui de ea pertractant; praesertim P. Lucium Ferraris in Bibl. Can. etc. V. *Sollicitatio*, et P. Felicem Potestà *Examen Ecclesiast.* P. III. *de denunciatione etc.*

CAPUT VI.

De Peccato contra naturam.

Q. *Quid est peccatum contra naturam?*

R. Est actus luxuriae, quo fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturae.

Q. *Quid dicendum de peccato contra naturam?*

R. Dicendum cum Seraphico Doctore (1), *quod peccatum contra naturam scelestissimum est, et super omnia fugiendum. Et de hoc crimine accusavit Joseph fratres suos apud Patrem crimine pessimo?*

Q. *Quot sunt species peccati contra naturam?*

R. Sunt quatuor; nempe *Mollities*; 2. *Inordinatus concubitus*; 3. *Sodomia*; et 4. *Bestialitas*.

Q. *Hujusmodi peccata differunt ne inter se, an sunt ejusdem speciei?*

R. Differunt inter se, quidquid alii aliquando senserint. Nam oppositum est a Pontifice Alexandro VII. damnatum (3).

Q. *Quid est mollities?*

R. Mollities, seu pollutio, est voluntaria seminis effusio extra vas, solius voluptatis gratia facta.

Q. *Quale peccatum est mollities?*

R. Mollities, ab Apostolo ad Galatas (4) dicta etiam *Immunditia*, quoties est perfecte voluntaria, est peccatum mortale contra naturam, quia est con-

---

(1) Serm. de decem Praecep. Cap. 6.

(2) Genes· Cap. XXXVII. v. 2.

(3) In hac Prop. in ordine 24. *Mollities, Sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae; ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.* Vid. Dan. Conc. Lib. VIII. in Decal. Dissert. 2. de *Meretricio* Cap. XII. q. 3. 4.

(4) Cap. V. v. 19.; nec non II. ad Corint. Cap. XII. v. 21.

tra ordinem naturae, et generationis (1), et tale quod excludat a Regno Dei (2).

Q. *Licet ne saltem desiderare, ut pollutio naturaliter eveniat; aut gaudere de ipsa jam secuta?*

R. Si efficaciter desideratur, vel de ipsa quis gaudet ob carnalem delectationem, quae ex ipsa percipitur, omnino non licet; Si vero quis gaudet de pollutione omnino involuntaria, in somnis naturaliter secuta, ob aliquem finem bonum; uti sedandae tentationis causa, vel sanitatis recuperandae, illicitum non est (3).

Q. *Est ne peccatum pollutio quae in somno accidit?*

R. Si prorsus involuntarie est in somno secuta, non est peccatum; quia est effectus mere naturalis (4). Si vero antea directe, vel formaliter est procurata, et

---

(1) Hinc merito Innocentius XI. die 2. Martii 1679. inter alias, hanc Caramuelis Prop., quae est in ord. 49. proscripsit: *Mollities jure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.* Mollities ergo est intrinsece mala, et consequenter numquam, et sub quocumque praetextu, etiam certae mortis vitandae, licitum est eam directe intendere, et procurare.

(2) Ita Apostolus I. ad Corinth. Cap. VI. v. 10. *Neque molles Regnum Dei possidebunt.*

(3) Tunc enim, ait P. Ferraris cum aliis quos citat, et sequitur V. *Sollicitatio n.* 39. « Pollutio mere » naturalis eveniens, non est nisi spontanea, et natu- » ralis evacuatio seu exoneratio naturae, seu corporis, » qualis est emissio sudoris, vel aliorum superfluorum » excrementorum ».

(4) Et sane: *In dormiendo*, ait Angelicus Doctor 2. 2. q. 154. art. 5. *ratio non habet liberum judicium; unde id, quod agit homo dormiens, non imputatur ei ad culpam, sicut nec illud quod agit furiosus, aut amens.*

causa non est retractata, aut post somnum placuit, et propter delectationem veneream est approbata, tunc est peccatum mortale (1).

Q. *Quid dicendum si pollutio incipit in somno, et in vigilia completur?*

R. Si nulla data est causa antecedens, et in vigilia, dum ipsa completur, displicet eam accidisse, et fiunt actus contrarii, non est peccatum, etiamsi non impediatur; quia nequit impediri. Secus erit peccatum.

Q. *Omnis pollutio est ne ejusdem speciei?*

R. In se spectata omnis pollutio est ejusdem speciei; sed si spectatur quoad aliquas circumstantias, in quibus ipsa perficitur, pro varietate personae a qua committitur, vel cum qua committitur, variam sumit speciem (2).

Q. *Potest ne fieri actio, ex qua praevidetur quod sequatur pollutio?*

R. Si actio est in se licita, et adest justa, et honesta causa illam exercendi, et habeat quoque alios effectus licitos, et honestos, fieri potest, dummodo tamen non praestetur consensus voluptati carnali (3).

---

(1) Ita laudatus D. Thomas qui 3. Parte q. 8. a. 7. in C. scribit: *Quandoque vero praecedentes cogitationes sunt cum concupiscentia et delectatione, et si adsit consensus, erit peccatum mortale in pollutione nocturna.*

(2) Hinc docent communiter Doctores, non sufficere poenitenti confiteri se pollutionem procurasse, sed requiri ut exprimat qualitatem personae, quam se polluendo cogitabat; an scilicet conjuncta; an libera vel voto castitatis obstricta, etc. Quia in tali casu pollutio speciem malitiae contrahit ex objecto; nempe vel adulterii, vel incestus, vel Sacrilegii, etc. Vid. S. Alphonsus de Ligorio.

(3) Ita communiter Theologi apud P. Ferraris V. *Luxuria* n. 44. « Et ratio est, *ait ipse*, quia prose-

Q. *Quid est inordinatus concubitus?*

R. Est actus peccaminosus contra naturam, quo vir concubit cum faemina modo deordinato, et indebito, ita ut impediatur generatio.

Q. *Quale peccatum est inordinatus concubitus?*

R. Si Conjuges voluntarie modo tali concumbunt, quo certo impeditur generatio, est peccatum mortale (1).

Q. *Quid dicendum de illis Conjugibus, qui servato vase naturali, variant situm, et modum cocundi ordinarium?*

R. Si id faciunt ex aliqua justa causa, et periculum non adest perdendi semen, a peccato excusantur. Si vero non adest justa causa, peccant saltem venialiter; et si adest periculum semen perdendi, mortaliter peccant (2).

Q. *Quid est Sodomia?*

» quenti suum jus, non imputatur effectus per acci-
» dens, et praeter intentionem, et consensum ipsius
» secutus. Unde quamvis qui praevideat secuturam pol-
» lutionem ex auditione Confessionis mulierum, ex lectione
» casuum conscientiae, ex necessario tactu sui, vel alte-
» rius, et hujusmodi, dummodo absit periculum consen-
» sus in delectationem, potest nihilominus licite audire
» Confessiones mulierum, legere Casus conscientiae,
» tangere se, et alios ex necessitate, et hujusmodi. Se-
» cus autem si adesset periculum consensus in delecta-
» tionem; quia tunc cognoscens quis ex simili occasione
» saepius fuisse mortaliter lapsum, tenetur a similibus
» actionibus, et officiis, quantumvis licitis, et hone-
» stis abstinere, ut advertunt citati Doctores, et alii ».

(1) Nam impedire prolis generationem gravissime repugnant bono prolis, et naturae; ideoque est intrinsece malum, quod in nullo casu cohonestari potest.

(2) Unde graviter peccant conjuges illi, qui in actu seminationis se retrahunt, ne proles concipiatur. Ita Doctores communiter.

R. Sodomia est coitus libidinosus cum persona indebita (1).

Q. *Quotuplex est Sodomia?*

R. Sodomia duplex est; *perfecta* nempe, et *imperfecta*. Sodomia perfecta est concubitus masculi cum masculo, aut feminae cum femina (2). Sodomia vero imperfecta est concubitus viri cum femina extra vas naturale.

Q. *Differt ne Sodomia perfecta ab imperfecta?*

R. Differt specie, quia Sodomia perfecta fit cum affectu ad sexum indebitum; Imperfecta vero fit cum affectu quidem ad sexum debitum, sed in vase indebito; adeoque est in confessione specificanda (3).

Q. *Quale peccatum est Sodomia?*

R. Est peccatum gravissimum; Unde et de Sodomitis legitur in Genesi (4): *Homines Sodomitae pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis* (5).

---

(1) Sodomia sic est dicta a Sodoma Civitate, in qua tale nefas adeo grassabatur, ut cum ea, Gomorrha, et finitimis Civitatibus, omnes habitatores, igne de Coelo pluente, miserere combusti fuerint, et paenitus consumti. Ita ex Genesi Cap. XIX. v. 24.

(2) Ita communius Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 155. art. 114. et aliis, quos citat, et sequitur P. Lucius Ferraris V. *Luxuria* n. 52.

(3) Utraque autem « Sodomia, sive scilicet perfecta, sive imperfecta, inquit laudatus P. Ferraris cum aliis, quos citat laud. loco n. 56. « ultra propriam malitiam habet aliam specie distinctam, in confessione » explicandam, si personae copulatae, sint vel Deo Sacrae, vel Conjugatae, vel Consanguineae, seu affines; tunc enim committitur etiam vel Sacrilegium, vel Adulterium, vel Incestus: et quidem aliquando duplex Sacrilegium, vel Adulterium, si utraque persona est Deo Sacra, vel Conjugata.

(4) Cap. XIII. v. 13.

(5) Quod percipi potest, tam ex tremendo, severissimo supplicio, quo a Deo affecti fuerunt, quam ex

Q. *Quid est Bestialitas?*

R. Est coitns cum Brutis.

Q. *Quid dicendum de coitu viri, aut feminae cum Daemone succubo, vel incubo?*

R. Hoc nefas reducitur ad peccatum Bestialitatis, et in eo ordinarie concurrit triplex peccatum, specie distinctum (1); nempe Bestialitatis, quia detorquetur affectus ad non hominem; 2. Superstitionis ob commercium quod habetur cum Daemone infensissimo hominum, et Dei ipsius inimico,

---

poenis, quae sive Per Sacros Canones, sive per varias Leges Civiles, contra ipsos statutae fuerunt. Et quoad Legem Canonicam, Sodomitae, *Si sunt Laici excommunicationi subdantur, et a Coetu fidelium penitus fiant alieni.* Ita ex Cap. *Clerici* 3. *de excessibus Praelat. ibi*; nec non declarantur infames. *Cap. Infames* 2. *caus.* 3. *q.* 7., et conceditur facultas eorum uxoribus, ut possint ab eis discedere, sicut ab adulteris. Si autem quod absit, sint Clerici, convicti ac sunt de peccato Sodomiae, privantur beneficio, atque a statu, et Ordine Clericali abjiciuntur. *Cit. Cap. Clerici* 4. *de excessibus Praelatorum*. Quinimo ex Constit. S. Pii V. quae incipit. *Horrendum illud scelus*, privantur omni Privilegio Clericali, Officio, Beneficio, dignitate, ac degradati, traduntur Potestati saeculari, puniendi ut Laici de tali scelere convicti. In Dioecesi vero Neapolitana incurrunt in Casum reservatum absque excommunicatione, qui his verbis expressus est n. 2. *Exercentes peccatum Sodomiae, vel cum Brutis coeuntes: ita tamen ut in his Luxuriae casibus tantum masculi comprehendantur.*

Quoad vero Leges Civiles, Sodomitae, ex Codice Theodosiano *Lib.* 9. *titulo* 7. puniuntur poena ignis. In eo enim ita legitur: *Hujus* (scilicet Sodomitae) *scelus, spectante populo, flammae vindices expiabunt.* Id quod etiam Carolus V. *Ord. Crimin. Art.* 116. Observari praecepit.

(1) Ait P. Ferraris V. *Luxuria* n. 68;

quod est contra virtutem Religionis; 3. peccatum illius speciei, circa quod fertur affectus, ita ut si vir misceatur Daemoni tamquam masculo, sit peccatum Sodomiae, si tamquam faeminae liberae sit peccatum fornicationis, si tamquam consaguineae aut affini sit Incestus, si tamquam Conjugatae sit Adulterium, si tamquam Deo sacrae sit Sacrilegium.

Q. *Quid pràecipue nono praecepto prohibetur?*

R. Nono praecepto prohibentur 1. omnes cogitationes deliberatae de rebus obscoenis atque lascivis extra usum matrimonii, quibus praestatur assensus cum delectatione, et complacentia; 2. Delectatio morosa (1); hoc est voluntaria, et deliberata complacentia de re turpi, et lasciva; 3. Desideria prava complendi opera carnis, sive quae ad lasciviam pertinent.

Q. *Quale peccatum sunt cogitationes pravae, delectationes morosae, et desideria prava?*

R. Si fiant animo deliberato, atque plena advertentia extra Matrimonium, sunt peccatum laethale (2).

Q. *Sufficit ne dicere in Confessione se habuisse pravum desiderium complendi libidinem?*

R. Non sufficit, sed exprimi debet qualitas personae, quam libidinose concupivit. Nam si desideravit peccare cum consanguinea vel affini, peccatum habet rationem Incestus; si cum ligata in Matrimonio habet rationem sacrilegii etc.

Q. *Quid dicendum de osculis, et tactibus?*

R. Quoad oscula si fiunt, ex usu, et consue-

---

(1) Ita dicta, ajunt Doctores, non quia de essentia requirat durare ad longum tempus, sed quia solet, ut plurimum diu durare; vel quia quiescit, et moratur in delectatione mentis, tamquam in fine ultimo, non ordinando illam ad ulteriorem actum.

(2) Vid: Antoine Theol. Mor. Tract. de Peccatis Q. VIII. et seq.

tudine locorum, et abest omnis deliberatus consensus in turpia, permittuntur; secus vero non.

Quoad tactus, in partibus maxime verendis. Si fiunt ex gravi necessitate, cui aliter subveniri nequit, et periculum non subest consensus in delectationem veneream, quae ex illis excitari potest, et tunc non sunt peccata; secus sunt peccata, et omnino detestanda.

Q. *Quaenam sunt filiae Luxuriae?*

R. Filiae luxuriae, ex D. Gregorio (1), sunt octo; scilicet 1. *Coecitas mentis*; 2. *Inconsideratio*; 3. *Inconstantia*; 4. *praecipitatio*; 5. *Amor sui* (2); 6. *Odium Dei* (3); 7. *Affectus praesentis saeculi*; 8. *Horror, et desperatio futuri* (4). Quarum primae quatuor sunt ex parte intellectus; aliae vero quatuor sunt ex parte voluntatis.

Q. *Quaenam sunt remedia contra Luxuriam?*

R. Plurima sunt; praecipue vero sunt sequentia; 1. frequens, et Umilis Oratio (5); 2. Devotio ergà

---

(1) Lib. 31. Moral.

(2) Inordinatus nempe, quo luxuriosus ita suam carnem, et carnales voluptates diligit, ut in illis finem ultimum ponat.

(3) Utpote qui carnales voluptates tam graviter prohibet, et tam severe punit; ita ut cuperet potius, Deum non esse, quam a carnis illecebris abstinere.

(4) Luxuriosus enim ita afficitur praesenti saeculo, ut vellet semper in ipso manere, ipsam aeternam beatitudinem parvipendens. Horret vero saeculum futurum, quia scit libidinosus, ibi fore aeternaliter puniendum; et quia deserere carnales voluptates videtur ei quasi impossibile, desperat se posse salvari.

(5) Vincere enim, atque evitare carnis illecebras, castitatemque servare, nonnisi Dei auxilio possumus; Ita Sapiens Cap. VIII. v. 21. dixit se fecisse; *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens . . . Adii Dominum, et deprecatus sum illum.*

Virginem Mariam (1); 2. Evitatio occasionum ad Luxuriam inducentium (2); 3. fuga Otii (3); 4. Sobrietas sive in edendo, sine in bibendo (4); 5. Sacramentorum Confessionis, et Eucharistiae devota frequentia (5); 6. Meditatio Passionis Christi Domini

(1) Cum namque ipsa sit mater puritatis, Virginum Regina, et potentissima Christi Domini Mater, ipsa pretiosam Castitatis praerogativam, efficacissimo patrocinio suo conservabit; et auxilia ad superandas carnis illecebras a Filio suo benedicto, ipsam devote colentibus, atque invocantibus impetrabit.

(2) Quales sunt, familiaritates, et colloquia inter personas diversi sexus; Conversatio lascivorum, lectio librorum, de obscoenis tractantium; choreae, spectacula, comediae, etc. Apposite S. Augustinus: *Contra libidinis impetum apprehende fugam si vis invenire victoriam.*

(3) *Multam namque malitiam docuit otiositas,* ait Ecclesiastes Cap. 33. v. 29. Hinc: *Otio*, ait S. Bernardus Lib. 1. de consid: *velut janua utitur Daemon ut illicitas cogitationum illecebras, etiam in purissimas mentes instillet.*

(4) Hinc apud Ezechielem Cap. XVI. v. 49. legitur: *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus.* Et in Proverbiis Cap. XX. v. 1. inquit Salomon: *Luxoriosa res vinum.* Vid. S. Bonav. De puritate Cousc. C. 13.

(5) Non enim fieri posse videtur, ut qui rite saepius confiteatur, et Sacra Eucharistia reficiatur, in carnis peccatum prolabatur. Eucharistia namque Christus intime nobis unitur, itaut unum cum ipso corpus efficimur, et Christus manet in nobis, et nos in Christo, juxta illud, Joan. VI. v. 53. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo*; nihil ergo efficacius ad servandam castitatem, et luxuriam devincendam, quam frequens, et cum debitis dispositionibus Communio. Unde, et Sacramentum hoc per Zacchariam Profetam; dicitur: *Frumentum electorum, et Vinum germinans virgines*.

atque poenarum aeternarum (1); 8. Cogitare semper Deum praesentem (2); 9. Initio tentationis ei fortiter resistere, ad aliud vertendo cogitationes, vel aliquam mortificationem exercendo (3); 10. tandem,

---

(1) *Certum est*, ajebat Origenes apud P. Fabr, Conc. 6. Domin. Passion., *quia ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. Est* enim *tanta vis Crucis, ut si ante oculos ponatur, et in mente fideliter retineatur . . . nulla concupiscentia, nulla libido . . superari non possit . . sed continue ad ejus praesentiam totus ille peccati, et carnis fugatur exercitus.*

Neque minus seria poenarum aeternalium cogitatio efficax est ad fugiendum libidinis peccatum. Impossibile enim relatu est, quot a libidinis coeno extraxerit cogitatio illa saepius mente revoluta: *Momentaneum quod delectat, aeternum, quod cruciat*; sicuti et illud: *Momentaneum et leve tribulationis, aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

(2) Haec enim cogitatio fuit semper tantae virtutis, ut fecerit innumeros a libidinosis actibus, desideriis, atque cogitationibus perpetuo abstinere. Et sane quis unquam esse potest tam perditus, atque mente captus, qui cogitans Deum semper, et ubique praesentem, cui omni cor patet, et quem nullum latet secretum; Deum inquam, qui ita odit luxuriam, ut integrum Genus humanum propter luxuriam aquis diluvii deleverit; Civitates Pentapolis igne consumpserit, atque omni tempore luxuriosos, diris flagellis percusserit; Deum, qui potest illico percutere, et mittere in ignem aeternum, cogitare solum poterit de patrando impudicitiae peccato? Quoties ergo Daemon, vel aliquis alius ad peccatum quodcumque, praesertim impudiciae tentat, respondeat statim Christianus, quod Joseph antiquus suae patronae, ipsum ad turpia invitanti, dixit, Gen. XXXIX. v. 9. *Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?*

(3) Scriptum est enim: *Resistite Diabolo, et fugiet a vobis.* Jacobi C. IV. Sed hoc non sufficit, si spiritu

sedula custodia Sensuum (1), qui sunt veluti quaedam fenestrae, per quas mors spiritualis intrat in hominum animas.

facta carnis non mortificentur; Hinc jejunijs, et carnis mortificationibus insistendum est, ut Angelus Sathanae, nos colaphizando, non vincat.

(1) Praecipue visus; qui enim *viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo.* Memoriae tenendum est, Davidem sanctum, et Deo charum, adulterium commisisse, quia voluit aspicere: non enim adulterasset, nisi aspexisset. Unde concludit S. Hieronymus; *Intueri non debet homo, quod concupisci non licet; et ut munda mens servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam.*

Alia quae in hoc Tractatu desiderantur, legi poterunt penes Auctores, passim citatos, inter quos Dan. Concina in *Lib. VIII. in Decalogum*; et Besombes *Moralis Christ., Tract. XIII. de VI. et IX. Dec. Praec.*

TRACTATUS VII.

De VII.; et X. Decalogi Praecepto.

Cum Deus Optimus Maximus homines ad Societatem, communemque vitae rationem destinaverit, ita ut omnes unum corpus efficerent, et singuli alter alterius essent membra, dilectionis vinculo ita voluit esse constrictos, ut unusquisque proximum suum diligeret (1) sicut seipsum; et consequenter ut quilibet ea aliis vellet, quae pro se vellet. Et quoniam, ut ait Apostolus (2): *Dilectio proximi malum non operatur*; *Dominus*, inquit Angelicus Doctor (3), *prohibuit principaliter Lege sua injuriam proximi*; *et primo injuriam in persona*; Non occides: *secundo in persona conjuncta*: Non moechaberis; *Tertio in rebus*: Non furtum facies. Atque ut omnis occasio inferendi proximo damnum in rebus suis penitus tolleretur, desiderium ipsum rei alienae, singulari praecepto, quod decimus est, prohibuit, dicens (4): *Non concupisces domum proximi tui . . . . . et omnia, quae illius sunt*. Expositis ergo Sexto Praecepto, et Nono, ad explicationem transeamus Septimi, et Decimi Praecepti. Quoniam vero talibus Praeceptis non solum prohibetur Furtum, et quaelibet injusta rei alienae contrectatio, sed praecipitur etiam rei alienae restitutio, quia teste Augustino (5). *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*, quae de Furto, et Restitutione Tyroni Theologo scitu necessaria sunt, distinctis Capitibus, clare explicabimus.

(1) *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Matt. XXII. v. 39.

(2) *Roman*. *XIII*. *v*. 10.

(3) Opusc. IV. de decem Praecep. *de sept. praec.*, *Legis*.

(4) *Exodi XX*. *v*. 17.

(5) Et post ipsum *Reg*. *4*. *Juris in 6*.

CAPUT I.

De Furto, variisque ejus speciebus.

Q. *Quid est Furtum?* .

R. Furtum (1) est occulta, et injusta ablatio rei alienae, invito rationabiliter domino.

Q. *Differt ne furtum a rapina?*

R. Affirmative. Nam furtum fit occulte, rapina vero palam, vidente scilicet, et contradicente domino; definitur quippe rapina; quod sit injusta, et violenta rei alienae ablatio, invito rationabiliter domino. Unde rapina specie differt a furto, quia praeter injustitiam, hoc est injustam ablationem rei alienae, continet aliam speciem injustitiae contra personam, ob violentiam, quam infert illi.

Q. *Quale peccatum sunt furtum, et Rapina?*

R. Nisi excuset parvitas materiae, sunt peccatum laethale (2).

Q. *Quaenam quantitas materiae dicenda est sufficiens, ut furtum sit peccatum mortale?*

R. Ea nequit certo, atque determinate taxari; sed taxanda est arbitrio prudentum, tum ex quantitate rei ablatae, tum ex circumstantiis personae per furtum laesae, temporis, loci etc.

Q. *Dantur ne casus, in quibus, etiamsi furetur res levis, committitur peccatum mortale?*

---

(1) A *furvo* dictum, idest *nigro*, et quod *clam et in obscuro fiat, et plerumque de nocte*. Ita *in l.* 1. *in princ. ff. de furtis.* Hinc a plerisque distingui solet *fur* a *latrone*, et fur dicitur qui aliquid noctis tempore surripit; latro autem, qui furatur in die.

(2) Scriptum est enim ab Apostolo I. ad Cor. Cap. VI. v. 10. *Neque fures . . . neque Rapaces Regnum Dei possidebunt.* Et jam dixerat Habacuc Propheta Cap. II. v. 6. *Vae ei, qui multiplicat non sua*

R. Affirm. Et 1. si materia furata, sit domino illius valde proficua, vel necessaria; 2. Si quis furetur rem levem, sed habeat intentionem furandi notabilem quantitatem; 3. Si materia levis fuit furata, in finem mortaliter peccaminosum; 4. Si res furetur scienter ab eo, qui habet rationabilem quemdam affectum ad talem rem; itaut ex ejus ablatione, periculum adsit, ne tamquam nimis iracundus, in blasphemias mortales prorumpat; 5. Si res auferatur cum notabili violentia.

Q. *Quotuplex est furtum, generaliter loquendo?*

R. Furtum, generaliter loquendo, duplex est; *simplex* nempe, et *qualificatum*. Furtum simplex est illud supra definitum, quod opponitur virtuti justitiae tantum; Furtum vero qnalificatum est quod, non solum opponitur justitiae, sed alteri quoque virtuti.

Q. *Quotuplex est furtum qualificatum?*

R. Furtum qualificatum, ordinarie, quadruplex est; nempe 1. *Sacrilegium*; 2. *Peculatus*; 3. *Plagiatus*; et 4. *Abigeatus*

Q. *Quid est Sacrilegium?*

R. Sacrilegium, seu furtum sacrilegum, est ablatio rei Sacrae; quod tripliciter accidere potest; scilicet 1. quando aufertur Sacrum de Sacro (1); 2. quando aufertur Sacrum de non Sacro (2); et 3. quando aufertur non Sacrum de Sacro (3).

---

(1) Ut esset, si quis surriperet Calicem, aut aliud quidpiam Deo sacrum in Ecclesia.

(2) Veluti si quis domum Parochi furtim ingrediens, ab ea auferret calicem, vel planetam, vel aliud ad Ecclesiam spectans, et divino cultui dicatum.

(3) Ex hoc capite Sacrilegium committit, qui in Ecclesia furatur aliquid ab illis, qui in ea morantur pecuniam scilicet, linteolum, etc. Ita expresse habetur *in Cap. Quisquis* 21. caus. 17. q. 3. *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum in Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro.*

Q. *Datur ne parvitas materiae in furto sacrilego?*

R. Si materia furti est inadaequate sacra; hoc est quae pretio temporali solet exstimari; uti sunt Altarium ornamenta, flores, candelabra, cerei, vasa sacra etc., et juxta graves Doctores, dari potest parvitas materiae. Si vero est adaequate sacra, non datur.

Q. *Quibus poenis subijciuntur qui furtum sacrilegum committunt?*

R. Qui effrangentes Ecclesiae januas, quae in ea sunt, surripiunt, in poenam excommunicationis incidunt (1).

Q. *Quid est Peculatus?*

R. Peculatus est furti species, quo quis pecuniam ad Ærarium publicum, aut Fiscum Principis pertinentem; sive Comunitatis bona publica, in suos usus privatos convertit (2).

Q. *Quid est Plagiatus?*

R. Plagiatus, sive Plagium, est actus, quo quis dolose surripit hominem, vel servum alienum, ut vel in servitutem adducat, vel alteri vendat, aut donet.

R. *Quale peccatum est Plagiatus?*

---

(1) *Cap. Conquesti 22. de Sent. Excomm.* quae Excommunicatio post denunciationem ab Episcopo factam, a Papa solum potest absolvi, ut ex juncto praedicti Capitis summario, ubi sic legitur: *Qui cum effractione spoliant Ecclesias, excommunicati sunt, et per Papam tantum post denunciationem absolvuntur.*

Juxta Codicem vero poenalem noviss. Regni Neapolis art. 10. Decreto diei 7. Maj. 1821. « Chiunque in» voli la sacra Pisside, o l'ostensorio colle ostie consa» crate, sarà punito colla morte naturale sulle forche. » Quando poi tale involamento succeda senza le ostie » consacrate, il colpevole avrà la pena dell'ergastolo » a vita ».

(2) *L. 1. l. Lege 4. in prin. et §. fin. L. Sacrilegi §. Labeo ff. ad L. Jul. Pecul. et §. 9. Instit. de pub. Jud.*

R. Est peccatum mortale (1).

Q. *Quid est Abigeatus?*

R. Abigeatus est fraudolenta Ovium, Bovum, Equorum, et aliorum id genus pecorum ex pascuis, aut armentis subtractio, et veluti depraedatio (2).

Q. *Quale peccatum est Abigeatus?*

R. Est ex genere suo mortale; ejus enim materia, ut patet, est gravis,

Q. *Est ne licitum aliquando furari?*

R. Est licitum in extrema necessitate (3).

Q. *Quid dicendum si dominus, aut detentor rei sit in eadem extrema necessitate?*

R. Tunc licitum non est rem ab eo auferre; tum quia aequalis est necessitas; tum quia in pari causa melior est conditio possidentis (4).

---

(1) In Exodo enim Cap. XXI. v. 16. ita legitur. *Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxae, morte moriatur.*

(2) Hinc abigeus dicendus non est, sed simplex latro, qui, vel oves, aut equos in solitudine errantes relictos rapuerit; aut de grege ovium, minus quam decem; et de grege porcorum minus quam quinque abduxerit. Textu expresso *in l. fin. ff. de furtis.*

(3) Ita communiter Doctores cum S. Thoma 2. 2. q. 66. art. 7. et Praecept. Subtili in IV. dist. 15. q. 2. ad 5., et habetur *Ex Cap. Exiit §. Ne quidquam de verb. signif. in 6*, ubi ita legitur: *Nec jure poli in extremae necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturae, via omnibus extrema necessitate detentis concessa praecluditur, cum ab omni lege, extrema necessitas sit exemta.* Et ratio est, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, quoad jus utendi pro conservatione vitae.

(4) Quare si tres, vel quatuor personae in certo periculo sunt incidendi in latrones, et non adest nisi unus equs, cujus usu, fugam capiendo possent salvari, non licet illum surripere, et illo uti ad vitam, et res proprias salvandas, relicto domino in illa necessitate.

Q. *Potest ne quis aliquid surripere ut succurrat proximo in extrema necessitate constituto?*

R. Si ipse non habet bona, ex quibus possit succurrere proximo in extrema necessitate posito, et tunc potest, quia in tali casu habetur ut istrumentum indigentis; secus non potest.

Q. *Qui committit plura furtula, peccat ne mortaliter a principio, an vero cum devenerit ad notabilem quantitatem?*

R. Si iste talis habet a principio voluntatem deveniendi ad materiam notabilem, et tunc mortaliter peccat a principio; secus vero tunc mortaliter peccat, cum per ultimum furtulum, notabilem quantitatem complet.

Q. *Quomodo peccat, qui post completam materiam notabilem, aliud furtulum committit?*

R. Peccat graviter; tum quia auget notabile damnum jam allatum; tum quia habet voluntatem retinendi rem alienam notabilem, quod est grave peccatum.

Q. *Si inter unum, et aliud furtulum, magnum est temporis intervallum, illa furtula faciunt ne unum moraliter?*

R. Negative. In tali enim casu, dominus non censetur rationabiliter invitus (1).

Q. *Quomodo peccat uxor furando aliquid de bonis viri sui; vel de illis bonis, quorum ipsa, nec dominium habet, nec liberam administrationem?*

R. Peccat graviter; et hinc tenetur ad restitutionem; dummodo tamen ei constet, virum esse rationabiliter invitum.

Q. *Dantur ne casus, in quibus uxor non peccat surripiendo aliquid de bonis sui viri?*

(1) Quantum vero temporis intervallum ab uno ad aliud furtulum dicatur magnum, ut illa furtula inter se coalescere dicantur, certo nequit determinari. Probabilius est, annum sufficere.

R. Dantur; et sunt sequentes; 1. quando uxor aliquid de bonis familiae retinet, ut modeste, secundum statum suum, se vestiat; 2. Ut moderatas faciat eleemosynas; 3. ut rei domesticae provideat; 4. ut prodigo marito ansam ludendi, vel aliter dissipandi bona, cum familiae, et decoris jactura, surripiat. In his enim aliisque similibus casibus, vir non potest esse rationabiliter invitus.

Q. *Peccat ne mortaliter filius, qui surripit aliquid notabile de bonis parentum, de quibus ipse dominium nondum acquisivit, nec liberam habet administrationem?*

R. Affirmative, et restituere tenentur; quoties tamen Parentes sunt rationabiliter inviti (1).

Q. *Dantur ne casus, in quibus filii familias, surripiendo aliquid de bonis parentum, non peccant?*

R. Dantur, et sunt; 1. ut sibi provideant de necessariis ad victum et vestitum, quoties parentes essent culpabiliter negligentes ad ea ipsis praestanda; 2. in compensationem suorum bonorum castrensium, vel quasi castrensium, quae pater surripuit; 3. ut succurrant matri, injuste a patre vexatae; 4. ut faciant moderatas eleemosynas.

Q. *Possunt ne famuli, aut famulae domesticae*

(1) Id enim clare constat ex Sacra Scriptura. Sane Prov. XXVIII. v. 24. habetur: *qui subtrahit aliquid a Patre suo, aut a Matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidae est.*

Ut autem rite determinari possit, quaenam sit materiae quantitas notabilis respectu furti filiorum familias, haec sedulo consideranda sunt; nempe 1. An parentes sint divites, vel pauperes; 2. An habeant paucos, vel multos filios; 3. An bene, vel male sint in filium affecti; 4. An filius sit parentibus utilis, vel inutilis; et 5 An quod filius surripit, surripiat simul, vel successive. Ita Doctores.

per minuta furtula compensare operam suam, quam salario majorem existimant?

R. Si loquimur de exculentis, et poculentis communibus ad proprios usus, de quibus domini inviti esse non solent, aut inviti non essent, si scirent, tunc possunt, saltem absque peccato mortali, cum hoc supponatur a Domino. Si vero loquimur de aliis rebus licet minimis, sed cum frequentia, et continuatione, et tunc non possunt (1).

Q. *Quomodo peccant Religiosi, qui absque Superiorum licentia, aliquid a Communitate surripiunt, et sive in suum, sive in alienum usum expendunt?*

R. Mortaliter peccant; imo duplex peccatum committunt, unum furti contra justitiam, et alterum contra votum paupertatis (2).

Q. *Quid dicendum de Sartoribus, qui vestium fragmenta retinent, et postea vendunt, sub praete-*

---

(1) Quare ab Innoc. XI. damnata est sequens Propositio n. 37. in ord. *Famuli, et famulae domesticae possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod acceperunt.* Vid Concina Lib. IX. in Decalog. diss. unica de Furto C. V.

(2) Ita communiter Theologi. « Et ratio est, inquit P. Lucius Ferraris V. *Furtum* n. 71 ». Quia » quamvis Religiosi sint in Monasterio quasi filii familias, imo et illius membra, quia tamen, ratione » voti paupertatis, sunt omnis proprietatis incapaces, » ideo quidquid surripiunt, invito rationabiliter Praelato, furtum est, et actus proprietatis. Quaenam vero quantitas requiratur in Religioso ad constituendum furtum mortale, communiter loquendo, illa dicitur esse, quae pro saecularibus ad furtum mortale sufficit, exceptis exculentis et poculentis, quia, ut sequitur idem Auctor, in illis superior ordinarie magis invitus est quoad modum, quam quoad substantiam; unde major requiritur quantitas ad mortale. Consulatur Concina Lib. cit. Cap. VIII. §. XIV. et seq.

xtu, quod sufficientem pro suis laboribus mercedem non recipiant?

R. Dicendum, eos peccare pro quantitate furti, quod faciunt. Ipsi enim retinent quod proprium non est, et quidem invitis rationabiliter dominis. (1).

CAPUT II.

De Restitutione in genere.

Q *Quid est Restitutio?*

R Restitutio (2) est actus justitiae commutativae, quo fit rei alienae redditio, vel damni, injuste illati, reparatio (3).

Q. *Quo jura facienda est restitutio?*

R. Omni jure; naturali nempe (4); Divino (5)

---

(1) Vid. Cont. Tournely P. 3. Sect. 3. Concl. 4. — Concina, ut supra §. XIII.

(2) Ita dicta quasi *rei in pristinum statum statutio*; vel alicujus in sua possessione aut dominio *iterata statuitio*.

(3) Restitutio itaque I. differt a satisfactione. Nam 1. Satisfactio respicit personam, et restitutio respicit rem; 2. Satisfactio proprie est pro injuria illata, esto nullum damnum sit illatum; Restitutio est pro damno illato; 3. Satisfactio fit pro damno etiam irreparabili; Ex. gr. pro vita alteri ablata; restitutio tantum pro damno reparabili; 4. Satisfactio respicit reparationem honoris et famae laesae; Restitutio autem reparationem damnorum.

II. Differt a solutione quia 1. non omnis solutio est restitutio; neque omnis restitutio est solutio; 2. restitutio de eadem re fieri solet, solutio autem de re diversa.

(4) Nam lex naturalis vult, ut unicuique, quod suum est, tribuatur, et nemini damnum inferatur, quod quisque sibi nollet inferri; Sicut ergo prohibet alienum auferre, ita et praecipit, injuste ablatum, restituere.

(5) In Levitico siquidem Cap. VI. v. 2. et seq. ita

atque humano (1).

Q. *Qua necessitate facienda est restitutio?*

R. Restitutio in voto, est de necessitate medii ad salutem (2). Restitutio autem in re, est de necessitate praecepti, et quidem affirmativi, non negativi (3).

Q. *Quot sunt Restitutionis radices?*

R. Radices restitutionis, vulgo quatuor adsignantur; nempe 1. *Res accepta;* 2. *Injusta acceptio, vel detentio;* 3. *damnum illatum;* et 4. *Contractus, vel quasi contratus?*

Q. *Quinam tenetur restituere ex re accepta?*

R. Tenetur possessor bonae fidei; ille nempe, qui rem alienam detinet, illesa conscientia, putans esse suam.

Q. *Ad quid tenetur possessor bonae fidei?*

R. Statim ac venit in malam fidem tenetur ad rem, si extat; si vero res non extat, tenetur ad id,

---

legitur: *Anima, quae. . . . vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit. . . convicta delicti, reddet omnia . . . . integra.* Hinc Tobias, audiens in domo sua vocem hoedi balantis, et nesciens cujus esset, dixit uxori suae: *Videte ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Tobiae* Cap. II. v. 21.

(1) Uti patet ex omnibus Legibus tam Ecclesiasticis, qua Civilibus furtum prohibentibus, atque restitutionem praecipientibus, quas longum esset hic saltem innuere. Vid. Cap. I. *Si res aliena C.* 14 *q.* 6.

(2) Nam in Cap. *Peccatum 4. de Reg. Juris in* 6. expresse dicitur: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

(3) Quod tamen praeceptum affirmativum, continet in se negativum, ut ait S. Thomas q. 62. art. 8. ad 1. *Praeceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum praeceptum, quo prohibemur, rem alterius detinere.*

in quo factus est ditior; sive ad quantum pepercit rei suae (1). Quod si in nullo factus est ditior, ad nihil tenetur.

Q. *Quid venit nomine injustae acceptionis?*

R. Venit possessor malae fidei; hoc est ille qui rem possidet alienam, laesa conscientia, sciens illam non esse suam, sed alterius.

Q. *Ad quid tenetur possessor malae fidei?*

R. Tenetur ad rem si extat; et si non extat, tenetur ad aequivalens; nec non ad lucrum cessans, et damnum emergens, si advenerit.

Q. *Possessor sive bonae, sive malae fidei, tenetur ne ad fructus rei?*

R. 1. Fructus rei alicujus esse possunt vel *naturales*; *vel industriales*; vel *mixti*; vel tandem *Civiles*. Fructus naturales dicuntur illi, ad quos producendos, sola natura concurrit; uti sunt poma, herbae pratorum, sylvae ceduae, partus pecorum, lac ovium etc. Fructus industriales sunt illi, ad quos producendos, sola humana industria concurrit, uti lucrum ex negotiatione, ex ludo, ex usu instrumentorum etc. Fructus mixti sunt illi, ad quos producendos et natura, et industria concurrunt, ut fructus arborum, frumentum, vinum etc. Fructus Civiles tandem sunt illi, qui obveniunt ex certo jure, nobis

---

(1) Petrus Ex. gr. Bona fide possedit vestem alienam valentem viginti, et consumpsit; ipse autem solebat expendere decem pro veste. Comparente domino, aut veniente ipso in malam fidem, decem solvere tenetur, quia in decem factus est ditior. Si autem solitus erat expendere viginta, et vestem alienam, decem valentem, consumpsit, ad decem tantummodo tenetur 1. quia dominus lucrari non debet cum jactura aliena; 2. Quia si detulisset vestem viginti valentem, aliter apparuisset; 3. quia possessor bonae fidei debet servare seipsum indemnem.

secundum leges concesso; uti sunt pensiones praediorum urbanorum; annui redditus etc.

R. 2. Tam possessor bonae fidei, quam malae fidei tenetur ad fructus naturales, mixtos (deductis tamen expensis), et Civiles, non vero ad fructus mere industriales.

Q. *Tenentur ne ambo eodem modo?*

R. Minime. Nam possessor bonae fidei, jure communi, tenetur ad fructus si extant, et non praescripserit (1). si vero non extant, tenetur ad id in quo factus est ditior. Possessor vero malae fidei semper tenetur ad fructus, sive extant, sive non extant, quia tenetur servare dominum indemnem; nec potest illos praescribere.

Q. *Titius possidens rem alienam, fecit in ea multas expensas, potest ne illas expensas exigere, dum illam restituit?*

R. Si expensae fuerunt necessariae; hoc est tales, sine quibus res vel non existeret, vel deterior fieret, et potest eas exigere sive bona, sive mala fide rem possederit, quia negotium utile gessit; quod ipsum dicendum si expensae fuerit utiles, hoc est tales, quibus res melior efficitur, et ejus pretium atque valor augetur. Si vero expensae fuerunt voluptuosae; hoc est quae solum voluptati, et recreationi deserviunt; et tunc videndum, si tales expensae sunt divisibiles, hoc est dividi possunt a re, tunc, spectato juris rigore, retinere potest tam si est possessor bonae fidei, quam malae; Si vero dividi non possunt, et tunc Titius si est possessor malae fidei, non potest eas exigere; quia cum fabricaverit in re aliena, ejus utilitas, in poenam, cadit Domino rei; si vero est possessor bonae fidei, potest illas exigere, quidquid alii dicant, quia debet servare seipsum indemnem.

---

(1) Jure autem nostro novissimo non tenetur, licet extent, et non praescripserit. Art. 594.

Q. *Ad quem spectat melioratio rei facta expensis possessoris, sive bonae, sive malae fidei?*

R. Melioratio spectat ad dominum; ad possessorem vero spectat quantum ille expendit pro rei milioratione.

Q. *Quid dicendum si dominus, absque talibus expensis, rem suam conservaturus fuisset?*

R. Tunc, vel possessor fuit bonae fidei, et ei tales expensae reddendae sunt, quia debet servari indemnis; Si vero fuit possessor malae fidei, reddendae non sunt.

Q. *Quantum restituere tenetur, qui rem alienam surripiens, quae melior futura erat, ipsam consumat ante meliorationem?*

R. Si dominus non erat rem illam conservaturus usque ad meliorationem, et debet tantum restituere, quantum illa valebat, tempore damni illati. Si vero eam conservaturus erat, et tenetur restituere tantum, quanti valet spes lucri (1).

Q. *Tenetur ne possessor bonae fidei restituere domino lucrum cessans, et damnum emergens ex carentia rei suae?*

R. Regulariter loquendo, non tenetur, tum quia culpabilis non fuit talis lucri cessantis, vel damni emergentis, tum quia in his ditior non est factus. Imo etiamsi talis factus est ditior ex alienae pecuniae negotiatione, quod lucrum cessaverit domino, nec etiam tenetur, quia lucrum quod percipit, est fructus industriae.

---

(1) Et ratio est, quia Dominus privatur valore illius spei. Quare si quis culpabiliter occidit ovem, Ex. gr. quae multos allatura erat foetus, et Dominus conseruaturus erat usque ad talem statum producendi foetus, tenetur ad valorem ovis, et foetuum, judicio prudentum, et deductis expensis, quas dominus facturus fuisset pro illius conservatione.

Q. *Dantur ne casus, in quibus bonae fidei possessor tenetur domino restituere lucrum cessans, et damnum emergens?*

R. Affirmative; nempe 1. quando postquam scivit rem esse alienam, fuit in culpabili mora eam restituendi (1); 2. quando haeres immediatus succedit possessori malae fidei (2); 3. quando bona fide rem tertio vendit, et res postea a proprio domino evincitur (3).

Q. *Qui faciunt plura furtula minuta; scilicet fraudant pondera, mensuras etc., tenentur ne ad restitutionem?*

R. Tenentur et quidem sub levi si materia est levis; sub gravi autem si materia est gravis (4).

Q. *Titius commisit plura furtula, et jam pervenit ad materiam notabilem, quantum tenetur sub gravi restituere?*

R. Tenetur sub gravi restituere tantum illam partem, per quam ad materiam notabilem pervenit (5).

---

(1) Tunc enim, pro tempore culpabilis morae, tenetur ad tale lucrum cessans, vel damnum emergens, quia ex quo scivit, rem non esse suam, et nihilominus retinuit, fuit possessor malae fidei.

(2) Nam cum iste talis, ex jure, repraesentet personam possessoris malae fidei, tenetur loco ipsius de damnis, et lucris. Quod si alio titulo succedit, non tenetur.

(3) In tali enim casu tenetur tertio de damnis et lucris, non quidem ex re accepta, vel injusta acceptione, sed ratione evictionis, hoc est ex contractu, quo ad hoc se obligat venditor pro securitate emptoris.

(4) Hinc jure ab Innocentio XI. damnata fuit sequens Propositio 28. in Ord. *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcumque in magna summa notabili.*

(5) Et ratio est, quia obligatio restituendi sub

Q. *Si quis per plura furtula, a variis personis aliquid surripuit, quibus restituere tenetur?*

R. Tenetur restituere illis personis, a quibus surripuit si eas cognoscat, et non adsit periculum infamiae; aliter restituere debet vel pauperibus communitatis damnificatorum, vel id quod restituere debet applicare in aliis piis operibus.

Q. *Qui in extrema necessitate aliquid furatus est, transacta necessitate, tenetur ne restituere?*

R. Si res fuit usu consumtibilis, et in extrema necessitate jam consumta, ad nihil tenetur (1). Si vero res, transacta necessitate adhuc existit, tenetur illam restituere. (2).

Q. *Ad quid tenetur, qui rem furto ablatam, consumpsit tempore incrementi, licet Dominus consumpsisset ante tale tempus?*

R. Tenetur ad restitutionem, juxta valorem incrementi, quia res Domino fructificat (3).

---

mortali oritur ex notabili quantitate rei alterius detentae; Quoties ergo restituitur quod materiam notabilem complevit, non amplius detinetur quantitas notabilis, et consequenter non habetur obligatio restituendi totam quantitatem. Ita multi cum Sanchez.

(1) Tunc enim quis usus est jure suo, et rei acceptae, quatenus sibi necessariae, dominium sibi comparavit.

(2) » Et ratio est, ait *P. Lucius Ferraris V. » Fur Furtum*. n. 34. Quia extrema necessitas tribuit » solum tantum juris in rem alterius, quantum ne» cessarium est ad illam sublevandam. In proposito » autem non erat necessaria res adhuc existens, sed » solum ejus usus; adeoque extreme egens, occupando » illam, solum sibi comparavit dominium utile illius » rei, dominio directo adhuc remanente penes pristinum » dominum, et per consequens res adhuc existens post » superatam necessitatem, erit restituenda domino.

(3) Hinc si quis furatur vitulum, Ex. gr., quem

Q. *Tenetur ne fur ad restitutionem rei apud ipsum deperditae, quae apud dominum aeque fuisset peritura?*

R. Si res certo peritura erat apud dominum, sed injuste, scilicet quia ab alio surripienda erat, et tunc tenetur ad restitutionem, quia qui praevenit furtum alterius non desinit esse fur. Si vero res pereat apud furem eodem modo quo periisset apud dominum, et tunc, juxta multos, non tenetur ad restitutionem; quia licet furtum cum injuria fuerit commissum, non fuit tamen causa efficax damni.

Q. *Petrus, bona fide, possidens quoddam vas, illud donavit Sempronio, quod Sempronius alienavit; ad quid tenetur Petrus, si postea veniat in malam fidem, et vas non potest haberi?*

R. Si Petrus aliud vas donasset, tenetur restituere id, in quo factus est ditior; tantum nempe quanti valuisset illud vas, quod donasset; si vero non donasset, ad nihil tenetur, quia in nihilo factus est ditior (1).

Q. *Cajus, bona fide, emit torquem auream a Paulo, sed postea cognovit illam esse furtivam, et hinc debere illam domino suo, restituere; a quonam potest repetere pretium, pro illius emtione solutum?*

R. Cajus potest repetere pretium illius a Paulo, qui rem alienavit, de qua dominium non habebat, non autem a domino; quia hic non tenetur denuo emere rem suam, quae jure naturae est ei debita.

---

dominus in statu vituli vendidisset, et fur vendit, aut occidit postquam in bovem crevit, restituere tenetur illius valorem in statu bovis.

(1) Atque hoc ipsum quoque est dicendum de iis, qui rem alienam, bona fide, possidentes, illam in ludo, in meretricio, aut in alia re vetita, et indecenti, consumunt.

Q. *Quid venit nomine damni illati, quod est tertia radix Restitutionis?*

R. Nomine damni illati venit omne damnum, quod injuste proximo infertur; uti agri alieni vastatio, domus conflagratio, personae occisio, vulneratio, percussio etc.

Q. *Est ne aliquod discrimen inter furtum, et damnum?*

R. Affirmative. Nam in furto intenditur lucrum, in damno autem mera damnificatio. Furtum omne fit cum alterius damno, sed omne damnum non fit cum alterius lucro.

Q. *Quot modis potest damnum inferri?*

R. Duobus modis; *physice* scilicet, et *moraliter*. Physice, quando quis propria manu vastat, interficit, incendit etc. Moraliter vero, quando per alium injuriam facit, vel positive influendo in damnum, vel negative non impediendo damnum, quando ex officio impedire tenetur.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut damnificans teneatur ad restitutionem?*

R. Istae tres conditiones necessario requiruntur; nempe 1. *Culpa theologica*; 2. *Causa efficax*; et 3. *Damnum secutum*; Ita ut si una ex his conditionibus desit, non habeatur restitutionis obligatio.

Q. *Quid est culpa?*

R. Culpa generatim accepta, est recessus a recta ratione.

Q. *Quotuplex distinguitur culpa?*

R. Duplex; *Theologica nempe, et juridica* seu *Civilis*. Culpa theologica est peccatum; Culpa vero juridica est omissio debitae diligentiae requisitae ad praecavendum peccatum, vel damnum alterius.

Q. *Quotuplex est culpa juridica?*

R. Triplex est; 1. *Lata nempe, levis, et levissima.* Culpa lata est omissio diligentiae, quam viri

diligentes adhibere solent (1); levis est omissio diligentiae, quam viri diligentiores solent adhibere (2); levissima tandem est omissio diligentiae, quam viri diligentissimi adhibere solent (3).

Q. *Quando ad inducendum restitutionem requiritur culpa theologica, et quando culpa juridica.*

R. Quando restitutio est facienda propter damnum illatum, tunc requiritur culpa theologica; quando vero facienda est ex Contractibus, vel quasi Contractibus, seu officiis, tunc sufficit culpa juridica, ut suo loco dicetur (4).

Q. *Ut in damnificatione adsit obligatio restitutionis, requiritur ne culpa gravis theologica, an sufficit levis?*

R. Si culpa est levis ratione parvitatis materiae, sufficit ad obligationem restitutionis, alias sequeretur, ad restitntionem non teneri qui parvula furta committunt, quod est absurdum.

Q. *At si quis per levem culpam, grave damnum intulit proximo, tenetur ne ad totum damnum?*

R. Non tenetur ad totum damnum, sed tantum ad partem, pro rata culpae, quia poena commensuranda est cum culpa.

---

(1) Qualis esset culpa illius, qui librum sibi commodatum, extra domum, quasi derelictum relinquet.

(2) Qualis esset negligentia illius, qui librum sibi commodatum relinqueret in suo cubiculo, ostio tamen aperto.

(3) Qualis esset culpa illius, qui librum sibi commodatum reliquit in cubiculo, quod clavi obseravit, et non observavit diligenter, an fores essent bene clausae illud iterum, atque iterum manu tentans.

(4) De Restitutione siquidem ex Contractibus, vel quasi Contractibus, hic verba non facimus; cum in Tractatu peculiari de Contractibus de illa fiet sermo.

Q. *Verum si pars, ad quam obligatur, est materia gravis, sub qua culpa tenetur restituere?*

R. Quidquid aliqui in contrarium sentiant, dicendum est, sub gravi ad restituendum teneri. Nam licet poena, ut mox diximus, commensuranda sit cum culpa; in casu autem habenda est ratio materiae ad quam quis obligatur, quae gravis est; aliter dici posset, quod qui per plura furtula pervenit ad materiam gravem, teneatur sub levi, quod absurdum est, et ab Ecclesia damnatum.

Q. *Quid dicendum de illo, qui dubitat, utrum mortaliter, an venialiter concurrerit ad damnum proximi, certo illatum?*

R. Dicendum est, mortaliter concurrisse, adeoque teneri ad totius damni reparationem; tum quia melior est conditio innocentis, quam delinquentis, tum quia in operibus externis quae graviter periculosa sunt, raro accidit, ut quis non attentet tantum, quantum necesse est ad mortale (1).

CAPUT III.

De Concausis Restitutionis.

Q. *Quid venit nomine Concausae restitutionis?*

R. Venit ille qui efficaciter, et cum effectu, ad damnum alterius injuste cooperatur.

Q. *Tenetur ne concausa hujusmodi ad restitutionem?*

(1) Quae hic addi solent de restitutione propter damna injuste proximo causata ratione homidii, mutilationis, adulterii, stupri, abortus etc., sufficienter suis locis pertractata sunt. Si quae vero alia desiderantur, prout materia se offeret, atque occasio, coram explicabuntur.

R. Tenetur; et oppositum fuit ad Innocentio XI. damnatum (1).

Q. *Quot sunt concausae restitutionis?*

R. Ex communi Theologorum sententia cum Doctore Angelico, sunt septem, quae his versiculis continentur.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non Obstans, Non Manifestans.

Q. *Omnes dictae Concausae concurrunt ne eodem modo ad damna?*

R. Neg. Sed primae sex concurrunt positive, quatenus ponunt actum, quem ponere non debebant, et proinde primo loco tenentur; reliquae vero tres concurrunt tantum negative, et tenentur post positivas, dato casu quod ex justitia, vel officio teneantur impedire damnum tertii, et non impediunt; alias non tenentur.

Q. *Quinam veniunt per ly Jussio?*

R. Veniunt omnes illi, qui aliis praecipiunt, vel mandant ut damnum, vel malum proximo faciant.

Q. *Quo nomine vocantur?*

R. Qui praecipiunt damnum inferri, dicuntur mandantes, qui vero onus suscipiunt exequendi praeceptum, et inferendi damnum, vocantur executores, vel mandatarii.

Q. *Quid ergo est mandatum?*

R. Est contractus, quo quis in se onus suscipit, aliquid exequendi in gratiam alterius.

---

(1) Prop. n. 39, quae ita se habet: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Et patet etiam ex *Cap. Si culpa tua 9. de injuriis et damno*, in quo habetur, *quod qui occasionem damni dat, damnum dedisse videatur.* Nec non et *l. Qui occidit 30. §. 3. ff. ad Legem Aquiliam*: ubi legitur. *Qui occasionem prestat, damnum fecisse videtur.*

Q. *Quotuplex est mandatum?*

R. Mandatum quadruplex est; nempe 1. *Generale* 2. *Particulare*; 3. *Explicitum*; et 4. *Implicitum.*

Q. *Ad quid tenetur mandans?*

R. Tenetur restituere omnia damna secuta, dummodo ipsius mandatum, illorum causa efficax fuit, sive mandatum sit expressum, sive tacitum (1).

Q. *Titius mandavit Cajo ut domum Petri, aliis domibus contiguam, incenderet, quo factum est, ut cum domo Petri et aliae domus contiguae igne consumtae fuerint, ad quid tenetur Titius?*

R. Tenetur ad omnia damna, non solum causata domui Petri propter incendium; sed etiam aliis domorum dominis, ob damna illis illata, quia attentis circumstantiis loci, temporis, venti, incendii etc. praevidere poterat, et debebat, tale incendium, alias domos continuas potuisse comburere.

Q. *Tenetur ne mandans ad damna quae propter executionem mandati, mandatario obveniunt?*

R. Si mandans est superior, tenetur (2); si vero non est superior, sed mandatarius fuit mercede conductus; et tunc ad nihil tenetur, quia mandatarius

---

(1) Quare si quis dicat famulo, aut filio. Si quis occideret Petrum meum inimicum, rem mihi nimis gratam faceret, tacite mandatum dare censetur; adeoque si filius, aut famulus, talia verba audiendo, occideret Petrum, ad omnia damna, inde secuta, tenetur mandans, quia fuit causa efficax damnorum, cum occisor, ad occideudum, ex imperio, licet tacito, sit motus.

(2) » Jussio enim Superioris, *ait P. Ferraris V.* » *Restitutio* art. 1. n. 16. continet quamdam vim et » coactionem moralem respectu Subditi; ita ut non » tam sponte, quam coacte censeatur operari; et talis » Mandatarius, sub illa conditione suscipit Mandatum, » ut Mandans subeat onus oriturum ex executione sui » mandati ».

voluntarie in se periculum assumit, cum ad id, contractu, sit mercede, seu stipendio conductus.

Q. *Paulus mandavit Sempronio ut occideret Cajum, sed Sempronius, per errorem, pro Cajo occidit Titium, ad quid Paulus tenetur?*

R. Tenetur etiam ad omnia damna propter tale homicidium secuta, quia illorum efficax causa fuit.

Q. *Si Mandatarius in executione mandati, illius limites excedit, ad quid tenetur Mandans?*

R. Si Mandans praevidere poterat, Mandatarium fines mandati excessurum fuisse, et nihilominus voluit sui Mandati executionem; et tunc tenetur ad excessum. Si vero nec praevidit, nec praevidere poterat, ad nihil tenetur; sed Mandatarius ad excessum tenetur; Quia talis excessus non ex Mandantis mandato, sed ex Mandatarii malitia, est secutus.

Q. *Ad quid tenetur mandans si revocaverit mandatum?*

R. Si revocaverit mandatum ante damni executionem, et revocatio mandati innotuit Mandatario, et tunc ad nihil tenetur; quia si sequitur damnum, id est ex malitia, et perversitate Mandatarii non Mandantis. Si vero Mandati revocatio non innotuit mandatario, et tunc ad damna tenetur, quia vi mandati damna sunt secuta.

Q. *At si Mandatarius oblitus revocationis mandati, illud exequitur, tenetur ne ad aliquid Mandans?*

R. Voluntaliqui cum Layman, Mandantem adhuc teneri ad damna, quia semper verificatur, quod vi mandati secuta sint damna. Volunt alii, Mandantem teneri, dummodo tamen praevidere poterat, et debebat, Mandatarium oblitum iri revocationis mandati; alias non teneri.

Q. *Tenetur ne ad aliquid, qui ratum habet damnum, nomine suo, alteri illatum?*

R. Ad nihil tenetur, quia sola praesens ratihabitio non est causa damni praeteriti.

Q. *Titius sciens, Cajum paratum esse ad inferendum alteri, suo nomine, damnum, neque illum impedivit, nec ei contradixit, cum poterat; tenetur ne ad aliquid?*

R. Tenetur ad omnia damna, inde secuta, quia taliter se gerendo, tacite mandare censetur.

Q. *Quid venit per ly Consilium?*

R. Venit consulens; hoc est omnis ille qui excitat, annuit, hortatur, suadet, instruit, motiva suggerit, modum ostendit quo fiat damnum tertio. Item qui praecibus, promissis ad damnum inferendum allicit.

Q. *Ad quid tenetur consulens?*

R. Tenetur ad omnia damna, quae tertio eveniunt in consilii dati executione (1); etiamsi consilium revocaverit (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus consulens, revocato consilio, non teneatur ad restitutionem?*

R. Dantur duo; nempe 1. quando consulens simplex deditConsilium vel innixum falsa doctrina, vel modo auctoritativo, et consilium revocavit, vel ostendit, fal-

---

(1) Quare merito ab Innocentio XI. damnata fuit sequens Propositio: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

(2) Differentia itaque adest inter Mandatum etConsilium. Nam Mandatum fit in gratiam Mandantis, Consilium in gratiam Consulti; Revocato Mandato, et cognita a Mandatario revocatione Mandati, ad nihil tenetur Mandans; revocato autem Consilio, licet illius revocatio innotuerit consulto, nihilominus ad restitutionem tenetur Consulens, quia semper est causa talis damni illati, cum intellectus semel instructus, difficile dimoveatur.

sam esse doctrinam qua inductus, consilium dederat; 2. quando consulens insinuavit modum inferendi damnum, vel utilitatem, aut facilitatem in damni executione aperuit; tunc si efficacibus, atque validis rationibus, et omnibus modis, etiam praecibus, conetur Consultum avertere a damni executione, et tunc, juxta probabiliorem sententiam, est immunis ab onere restitutionis, quia ille actus, non videtur amplius moraliter provenire a Consulente, sed potius a Consulti malitia.

Q. *Qui requisitus de consilio, dedit pravum consilium, tenetur ne ad damna illata Consulto in executione pravi consilii?*

R. Vel iste talis, qui dedit pravum consilium, est persona, quae, ratione sui officii, puta Juristae, Theologi, Confessarii, peritiam profitetur in ea re, quam suadet, et dico teneri, non solum de dolo, sed etiam de culpa lata (1); imo de culpa levi, si accipiat stipendium (2); vel de culpa levissima si maximam diligentiam promittat; vel non est talis persona, quae ratione officii,

---

(1) Ita per textum *in Cap. si culpa tua* 9. *De injuriis, et damno dato, his verbis: Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata . . . . aut haec imperitia tua, sive negligentia evenerunt, Jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

(2) » Inter Consulentem enim, ait P. Ferraris *V. Restitutio Art. 1. n.* 24. et eum qui accipit consilium
» intercedit contractus quidam in utilitatem utriusque,
» quandoquidem si Consultus recipit commodum ex con-
» silio proveniens, Consulens recipit utilitatem stipen-
» dii: in contractibus autem, qui cedunt in utilitatem
» utriusque, oritur obligatio, etiam ex culpa levi, ut te-
» net *Communis Doctorum*, per textum in *l. Contractus*
» *23. ff. de Reg. Juris.*

tenetur scire ea, circa quae praestat consilium, et dico non teneri de malo consilio, nisi doloso, idest nisi scienter, et fraudolenter alterum ignorantem circumveniat (1).

Q. *Qui dat consilium ad inferendum alteri damnum, tenetur ne ad damna quae in executione consilii, obveniunt Consulto?*

R. Non tenetur, quia Consultus non fuit coactus ad consilium exequendum; unde libere poterat illud non exequi. Adeoque sibi imputare debet damna, quae ipsi obveniunt in pravi consilii executione.

Q. *Quid venit nomine Consensus?*

R. Nomine Consensus venit omnis ille, qui consentiendo efficaciter influit in alterius damnum, vel approbando, vel ferendo suffragium ad illud inferendum (2).

Q. *Ad quid tenentur qui dant consensum, vel suffragium iniquae sententiae, Bello injusto, electioni personae indignae, vel minus dignae?*

R. Si in his requiritur suffragium omnium, vel plenitudo votorum, et tunc omnes tenentur ad compensationem damnorum, quae sequntur. Si vero non requiritur plenitudo votorum, sed majoris partis suffragia sufficiunt, tunc qui dant votum, vel suffragium postquam sufficiens numerus votorum expletus est, esto graviter peccent, ad damnorum tamen compensationem non obligantur, quia dicti postremi, non fuerunt causa efficax talium damnorum, cum haec ante ipsorum votationem jam fuerant posita.

Q. *Quid si postremi consentientes, contradicendo,*

---

(1) Communis, textu expresso in *Cap. Nullus* 62. *de reg. juris in 6.*, qui ita se habet: *Nullus ex consilio, dummodo fraudolentum non fuerit obligatur.*

(2) Efficax autem consensus ille dicitur, sine quo alii non possent, vel non vellent alteri malum inferre.

possent alios a damnosa actione, vel ab injusta electione revocare?

R. Tunc probabilius videtur, ad damnorum compensationem teneri (1); Quia singuli suffragantes tenentur ex officio monere, et pro viribus impedire alterius damnum, ne videantur esse illius efficax causa.

Q. *Si quis recusat dare suum suffragium, cum nihilominus, ex defectu sui suffragii, aliquem fore injuste ad aliquam poenam condemnandum, vel indignum eligendum, tenetur ne ad aliquid?*

R. Non solum peccat mortaliter, sed tenetur ad restitutionem; quia fuit efficax damni causa; si enim votum suum dedisset, neque injusta condemnatio fuisset secuta, neque indignus ad dignitatem sibi indebitam promotus (2).

CAPUT IV.

De aliis Concausis restitutionis.

Q. *Quid venit per ly Palpo?*

R. Venit omnis ille, qui adulando, laudando, plaudendo, vituperando, aliquem inducit ad inferendum proximo malum.

Q. *Tenetur ne Palpo ad restitutionem?*

R. Si, attentis circumstantiis, constet, sua laude, plausu, adulatione, aut vituperio, alium animosio-

---

(1) Videatur P. L. Ferraris V. *Restitutio* Art. 1. n. 40. et seq.

(2) Caveant hinc sibi, nonnulli, qui scrupulorum praetextu, ex officio ad suffragium ferendum obligati, voto renunciant; fieri enim potest; et heu! quoties evenit, ut illorum voti defectu, quis injuste condemnetur ad poenam, quam non meretur; vel quis ad officium, vel dignitatem eligatur, de qua est indignus.

rem esse factum ad inferendum alteri damnum, et tunc ad restitutionem tenetur; quia fuit efficax damni causa.

Q. *Quid venit nomine Recursus?*

R. Venit omnis ille, qui furem, sicarium, vel malefactorem hospitio recipit, defendit, protegit, res furtivas, arma, et caetera apud se retinet, ex quo malefactores securitatem, aut commoditatem habent injuste aliis damna inferendi; vel quod injuste retinetur, non restituendi.

Q. *Ad quid tenentur qui Recursum praestant?*

R. Si ratione talis Recursus, damna vere secuta sunt proximo, sine quo secuta non fuissent, tenentur ad restitutionem, quia peccant contra justitiam, et sunt causa efficax damni (1).

Q. *Si quis receptat furem ob solum finem ne a militibus comprehendatur, et supplicium evadat, tenetur ne ad restitutionem?*

R. Negative, modo praedam domino tradat, si id commode fieri potest; quia iste talis materialiter tantum dici potest receptans, neque efficax causa est damni illati.

Q. *Ad quid tenentur Magnates, qui videntes suos famulos abuti protectione ipsorum, et plura delicta perpetrare, illos non impediunt, neque corrigunt?*

R. Ipsi ad damnorum restitutionem tenentur, quia ipsorum protectio est efficax damnorum causa; si enim ipsi tales famulos non protegerent, famuli tam gravia damna non perpetrarent.

---

(1) Communis per textum l. Quo naufragium fit 3. ff. de incendio §. 3. ubi sic legitur: *Non tantum autem qui rapuit, verum is quoque qui recepit ex causis suprascriptis tenetur, quia receptores non minus delinqunt, quam aggressores.*

Q. *Quid venit per ly Participans?*
R. Venit omnis ille, qui participat in injusta damnificatione proximi.

Q. *Quotupliciter potest quis dici Participans?*
R. Dupliciter; scilicet, vel quia participat in re injuste accepta, absque eo quod participet in actione, et tenetur tantum ad restitutionem rei acceptae, vel quia participat in actione causativa damni, et tenetur resarcire damnum pro rata, et defectu aliorum, etiam ad totum (1).

Q. *Peccat ne, et tenetur ad restitutionem, qui per metum gravem participat in delicto, seu actione damnosa?*

R. Si actio ipsius, quae ad damnum influit, spectatis omnibus circumstantiis, non est intrinsece mala, quae proxime ad damnum concurrat, et tunc neque peccat, neque ad restitutionem tenetur; quia talis actio est indifferens, neque dominum laedit (2). Si vero actio, quae ad damnum influit, hic et tunc, spectatis omnibus circumstantiis, est mala, quia proxime concurrit ad malum, et ad illud determinatur, et tunc peccat, et ad restitutionom tenetur, quia moraliter cooperatur peccato alterius (3).

---

(1) Quare ex isto secundo capite ad restitutionem tenentur Fabri Ferrarii, qui claves falsas furibus fabricant. Exploratores, qui excubias agunt. Admoventes scalas ad domum ingrediendum. Institores, seu factores usurariorum, aliique similes, qui proxime concurrunt ad damum tertio inferendum.

(2) Unde excusantur rustici, qui metu gravi coacti, deferunt praedas, jam furto sublatas.

(3) Hinc peccant famuli, et ad restitutionem tenetur, qui heris suis, volentibus damna aliis inferre, instrumenta praebent et auxilia, puta gladium ad interficiendum inimicum; scalam tenent, ut per fenestram domum alterius ingrediantur ad damnum inferendum etc.

Q. *Quinam veniunt per ly Mutus, non obstans, non manifestans?*

R. Veniunt omnes illi, qui ratione officii; vel contractus, ex justitia obligati ad clamandum, obsistendum, et manifestandum, ne proximo damnum obveniat, sine justa causa, non clamant, non obstant, nec manifestant, ex quo damnum proximo infertur (1).

Q. *Quid dicendum de eo, qui vi, dolo vel mendacio impedit clamare volentem, etiamsi non obligatum ad clamandum?*

R. Iste talis non solum peccat contra justitiam, sed insuper tenetur ad restitutionem, tamquam positive cooperans ad damnum alterius; quia quisque habet jus, ne quis per vim, et dolum impediat ejus defensionem.

Q. *Tenetur ne ad aliquid, qui accipit pecuniam a fure ut taceat?*

R. Tenetur ad restitutionem tamquam causa positiva furti, quia tali conventione, fur redditur securior, et ad furandum animosior.

Q. *Si quis interrogatus a viatoribus, an sint praedones in via, mendacio occultat quod sint, interim viatores, secure inter facere putantes, incidunt in latrones, a quibus expoliantur, ad quid tenetur?*

Q. Compensare tenetur omnia damna viatoribus

---

(1) Quapropter graviter peccant, et ad restitutionem tenentur Magistratus, Judices, Gubernatores, Duces Belli, Custodes Civitatum, Sylvarum etc., qui impedire negligunt assassinia, furta, monopolia etc. Item peccant et ad restitutionem tenentur Advocati, et Procuratores non impedientes damna suis Clientibus obvenientia. Pariter peccant, et ad restitutionem obligantur Assessores, Canonici, Electores, Consiliarii, qui vel tacendo, vel se absentando, cum possint, non impediunt iniquam Constitutionem, indignam, et injustam electionem etc.

illata. Nam licet iste talis non tenebatur ex justitia praedones manifestare; tenetur tamen ex justitia non inducere alios, mendacio suo, ad securius iter faciendum cum periculo, damni.

Q. *Si servus videns furari bona domini sui non clamat, ut impediat furtum, tenetur ne ad aliquid?*

R. Vel fur est extranens, et dico teneri ad restitutionem, quia omnes famuli, ratione famulatus, quasi de jure gentium, censentur tacite obligari, ut res domini ab exterorum injuriis tueantur. Vel fur est domesticus, et subdistinguo; si bona quae surripiuntur sunt destinata sub ejus custodia, et tunc, si tacet, si non obstat, si non manifestat tenetur ad restitutionem. Si vero talia bona non sunt ejus custodiae concredita, et tunc, juxta multos, non tenetur ad restitutionem, quia ad eorum custodiam, ex officio non tenetur. Quod si famulus surripiens arripit fugam, tunc tenetur, quia in hoc casu censetur extraneus.

Q. *Quo ordine concausae tenentur ad restitutionem?*

R. Si loquimur de actione lucrosa, et tunc primo loco tenetur ille apud quem res extat, in defectu istius, Mandans, in defectu Mandantis, executuor, in defectu executoris tenentur causae positivae minus principales; ultimo loco causae negativae. Si vero loquimur de actione damnificativa; et tunc primo loco tenetur Mandans, postea executor, et sic de aliis, ut dictum est.

Q. *Inter Consulentem et Consultum, quinam primo loco ad restitutionem obligatur?*

R. Primo loco obligatur Consultus, postea Consulens; quia Consilium fit in gratiam Consulti. Si vero Consulens est persona publica, tunc obligatur primo loco, quia in tali casu, Consilium habet rationem Mandati.

Q. *Si plures cooperentur ad inferendum alteri damnum, quo modo tenentur ad restitutionem; in solidum nempe, an pro rata?*

R. Si cooperantur ad damnum ex conspiratione, et tunc tenentur in solidum; scilicet unus in defectu alterius (1). Si vero cooperantur sine conspiratione, et tunc non tenentur in solidum, sed tantum pro rata; scilicet unusquisque quoad suam partem (2).

Q. *Si una ex concausis jam restituerit, ad quid tenentur aliae concausae?*

R. Si concausa, quae restituit, est principalis, hoc est Mandans, et tunc ad nihil tenentur omnes aliae concausae. Si vero talis concausa est secundaria, scilicet Executor, et tunc omnes aliae causae secundariae remanent absolutae; Mandans vero tenetur Executori restituere. Si vero una ex concausis positivis, post executorem restituit, caeterae ejusdem ordinis concausae remanent liberae, a parte tantum, non a toto, a quo remanent solutae concausae negativae; quia tenentur in defectum positivarum.

Q. *Si debitor moritur, et ejus bona non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus, quo ordine fieri debet restitutio?*

R. Si adhuc restant, in propria specie, bona, de quibus debitor nondum acquisierat dominium; veluti bona furtiva, commodata, oppignorata, deposita, locata, et tunc ista, propriis dominis reddenda sunt,

(1) Et ratio est, quia posita tali conspiratione, singuli sunt simul causa totalis damni; et quidem totalitate effectus, cum totum damnum a singulis oriatur.

(2) Quia unusquisque non concurrens simul cum aliis ad damnum inferendum, non est causa totius damni, sed solum partis illius, quod scilicet per se intulit. Hinc si plures, Ex. gr. ingrediantur ad devastandam vineam, nulla habita invicem conspiratione, quisque tenetur damnum tantumodo a se illatum rasarcire.

non aliis quibuscumque creditoribus (1). Si vero talia bona in specie non extant, Jure communi, hic ordo servari debet:

I. Primo solvendae sunt impensae funerum (2); et quae requiruntur ad confectionem Inventarii, atque Testamenti aperitionem; sicuti etiam honoraria Medicorum, et pretia medicinarum Pharmacopolae (3).

II. Si adhuc alia bona supersunt, prius solvenda sunt debita certa, quorum nempe creditores cognoscuntur; idque jure naturae, quia clamant ad dominum; postea debita incerta, quae jure positivo, debentur pauperibus. Inter debita autem certa, prius solvenda sunt, quae debentur ex titulo oneroso, et postea quae ex titulo gratuito (4). Item prius est satisfaciendum creditoribus hypothecariis, postea chirographariis (5). De Jure vero novissimo Regni Nea-

---

(1) Quia cum talia bona non sint debitoris, reliqui creditores jus nullum habent in ea.

(2) Ex Lib. 14. D. *De Religiosis, et sumtibus funerum.*

(3) Hae namque expensae sunt privilegiatae, uti colligitur ex L. ult. *Scimus* C. Lib. 27. tit. 30. de jure deliberandi: et expresse habetur in Codice novissimo Neapolitano art. 1970. Et recte quidem. Nam si ita non esset, quis unquam reperiretur, qui talia indigentibus subministrare vellet cum dubio, vel incertitudine illarum valorem amittendi?

(4) In contractu enim gratuito subintelligitur semper conditio, si fieri possit sine alterius damno.

(5) Creditores Hypothecarii dicuntur illi, qui non solum obligatam sibi habent debitoris personam, sed etiam ejus bona. Chirographarii vero sunt; qui solam creditoris personam habent obligatam. Unde Hypothecharii plus habent actionis in re, quam in persona; adeoque merito Chirographariis praeferuntur. Ita ex L. 9. *Eos.* C. lib. 7. tit. 8. *Qui potiores in pignore.*

Jure vero novo Neapolitano, in bonis immobilibus

politani prius solvenda sunt debita privilegiata *(1)*, postea Hypothecaria; ultimo loco personalia.

Q. *Quid agendum est si plures sint creditores privilegiati, et interim bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus?*

R. In tali casu, si creditores sunt ejusdem ordinis, et gradus, danda est singulis pars, pro rata crediti.

Q. *Qui habet plura debita, et impotens est ad omnia solvenda, potest ne solvere ei, qui prius petit?*

R. Non potest; Nam fieret injuria aliis creditoribus, qui jus habent, ut ipsis prius solvatur *(2)*.

Q. *Potest ne quis scienter aliquid titulo donatio-*

---

non conceduntur praelationes, nisi in publicis Hypothecharum tabulariis inscribantur; ita ex art. 1992, excepta hypotheca Minorum, interdictorum, et Uxorum: artic. 2020. et 2021. Et ita quidem, ut inter creditores ipsos hypothecarios, ille aliis praeferendus sit, qui primus est ex inscriptione hypothecaria, non vero ex prioritate celebrationis contractus, uti in jure communi.

(1) Hoc est expensae judicariae, funerum, et ultimae infirmitatis; Stipendium famulorum pro ultimo semestri elapso, et mense currente; Æstimatio, seu pretium rerum ad victum pertinentium, quae debitori, ejusque familiae suppeditatae fuerunt, et quidem pro ultimo semestri, si a venditore minutim, pro ultimo vero anno, si a dominis diversorii, vel a mercatoribus, qui ad plenum vendunt. Ita ex artic. 1970. Novi Codicis.

(2) Nam ex regula juris 14. in 6. Qui *prior in tempore potior in jure*. Eo vel maxime, quod ex Codice Novissimo, is est praeferendus in solutione, qui primus est inscriptione hypothecaria, art. 2020.

Hac eadem ratione non potest debitor, sponte, uni creditorum, quia amico, integrum debitum solvere, quia injuriam facit, et damnum infert aliis creditoribus, qui jus habent, ne alter sine privilegio praeferatur.

tionis recipere ab eo, qui impotens est ad sua debita solvenda?

R. Non potest; adeoque peccat, et ad restitutionem tenetur, quia efficaciter influit in alienationem rei, cum detrimento creditorum (1).

Q. *Tenetur ad restitutionem, qui aliquem impedit a consecutione alicujus boni?*

R. Si bonum illud illi debebatur ex justitia, et tunc ad restitutionem tenetur, sive bonis, sive malis artibus, impediat. Si vero bonum illud ei debebatur ex liberalitate collatoris, et videndum; si bonis artibus impedit, non tenetur, quia non laeditur collatoris voluntas, neque jus alienum; si vero malis artibus impedit, tenetur ad restitutionem, juxta spei gradum (2); quisque enim jus habet, ne malis artibus, ab alio laedatur.

Q. *Ad quid tenetur, qui aliquem impedit a consecutione alicujus beneficii Ecclesiastici?*

R. Si impedit indignum, vel dignum, ut beneficium detur digniori, et ad nihil tenetur (3). Si impedit dignum, ut beneficium aeque digno detur, et hoc facit bonis artibus, ad nihil tenetur (4). Si vero

(1) Hinc peccat uxor, et ad restitutionem tenetur, si plus aequo insumat de bonis mariti pro alimentis sibi, et filiis debitis, cum detrimento creditorum. Peccant quoque filii, et ad restitutionem tenentur, si luxum, et ambitionem fovent, in fraudem creditorum.

(2) Dum enim Candidatus, bonum illud non fuerat adeptus, et poterat multipliciter ab illius consecutione impediri, justum, et rationabile videtur, quod impediens, ad totum non teneatur.

(3) Dignus enim, in comparatione dignioris, jus non habet. Unde qui illum impedit, ad nihil tenetur, nisi tantum restituere illi famam, si forte illum calumnia, vel detractione a consecutione beneficii impedivit.

(4) Cum enim ambo competitores nullum jus habeant, jus nullius violatur; adeoque nulla adest causa restitutionis.

impedit malis artibus; nempe fraude, calumnia, ec. peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta spei gradus (1). Si tandem impedit digniorem ab assequendo beneficio post concursum, et tenetur ad restitutionem damni (2); si vero extra concursum, et bonis artibus impedit, juxta multos non tenetur ad damna (3); tenetur vero compensare damna, quae obveniunt Ecclesiae ex electione minus digni, quia Ecclesia habet jus strictum, ne per electionem minus digni, sibi damna inferantur.

Q. *Quid si quis impedit aliquem a consecutione alicujus beneficii, manifestando illius delictum?*

R. Si manifestat occultum delictum Collatori, aut iis, quibus interest, non tenetur ad aliquam restitutionem (4). Si vero manifestat aliis, et ex illius manifestatione persona redditur infamis, propter quod collator movetur ad negandum illi beneficium, et tunc ad restitutionem tenetur, quia revera est causa injusta damni.

Q. *Tenetur ne ad restitutionem, qui impedit ne adimpleatur promissio alteri facta?*

R. Si promissio est acceptata, tenetur ad restitutionem, sive praecibus, sive fraudibus impediat (5).

(1) Quia violat jus, quod alter habet, ne via injusta impediatur a consecutione sperati beneficii, quo erat aeque dignus, ac competitor.

(2) Nam eo ipso quod dignior admittitur ad concursum, adquirit jus ad rem, cum ex quasi contractu inter concurrentes et electorem, dignior sit praeferendus.

(3) Et ratio est, quia dignior, extra concursum, nullum jus strictum habet ad beneficium.

(4) Nam quando agitur de officiis, ac beneficiis, jus est manifestare ea, quae hominem reddunt minus idoneum ad illud consequendum; aut minus decentem collationem faciunt.

(5) Et ratio est, quia promissarius, acceptando promissionem, acquirit jus ad rem promissam.

Si vero non est acceptata, et fraudibus impedit, et tunc tenetur, juxta spem quam habebat; quia unusquisque jus habet, ne fraudibus ab alicujus boni consecutione impediatur.

Q. *Si quis impedit bonorum applicationem Fisco, tenetur ad restitutionem?*

R. Si impedit ante sententiam judicis, non tenetur; quia tunc Fiscus non habet jus ad talia bona. Si vero impedit post judicis sententiam, et tunc tenetur, quia per talem sententiam Fiscus acquirit jus ad illa.

Q. *Tenetur ne Confessarius ad restitutionem, si in Confessione non admonet poenitentem de restitutionem facienda, ad quam est obligatus?*

R. Si Confessarius, negative tantum se habet, non tenetur (1). Si vero positive de obligat poenitentem a restitutione, dicendo eum non teneri, et tunc, si id facit ex inadvertentia, vel ignorantia inculpabili, et non tenetur, quia non adest culpa requisita ad inducendam in eo obligationem restitutionis; secus, tenetur ipse restituere tertio. Similiter si obligat ad restitutionem, ad quam poenitens non tenetur, et poenitens restituit, tenetur ipse restituere poenitenti.

CAPUT V.

De quibusdam circumstantiis restitutionis.

Q. *Cui facienda est restitutio?*

R. Si restitutio facienda est ex re a domino accepta, vel ex damno ei illato, et tunc semper est domino facienda; res enim semper clamat ad domi-

---

(1) Confessarius enim, sive sit Parochus, sive delegatus, tenetur ex charitate prospicere bono poenitentis; unde tacendo, non peccat contra justitiam.

num. Si vero est de re ablata ab alio, qui illam justo titulo possidebat, et tunc non proprio domino, sed illi, qui eam possidebat, facienda est restitutio (1).

Q. *Quid agendum si ignoretur dominus rei restituendae?*

R. Adhibenda est accurata diligentia ut cognoscatur illius dominus. Facta diligentia, si dominus invenitur, et est praesens, statim ei res sua restituenda est; si vero est absens, debet admoneri de re sua, ut disponat quid de illa fieri velit. Si vero adhibita tali diligentia, dominus non cognoscitur, tunc res danda est vel Ecclesiae, vel alicui loco Pio, vel pauperibus.

Q. *Si in restitutione facienda domino absenti occurrunt expensae, quis eas solvere debet?*

R. Si restitutio facienda est ex re accepta, et tunc expensae occurrentes solvendae sunt a rei domino; quia bonae fidei possessor servare se debet indemnem. Si vero facienda est ex injusta acceptione; et tunc injustus detentor debet tales expensas solvere, dummodo tamen illae non excedant, aut aequent rei restituendae valorem; in tali enim casu restitutio differri potest, vel expectanda est opportunior commoditas. Alias debitor, ad duplicem restitutionem teneretur, quod injustum esset.

Q. *Quid faciendum si distributa re pauperibus, dominus appareat?*

R. Semper ac facta fuit diligens, et accurata inquisitio domini, antequam res tribueretur pauperibus,

---

(1) Quare si quis aliquid furatur ab eo, qui illud justo titulo, veluti mutuo, locatione, deposito, commodato, apud se retinet, non debet illud proprio domino restituere, sed illi, a quo abstulit, et qui illud, uno, ex his titulis detinebat; alias injuria illi fieret. Idipsum dicendum de damno illato.

et dominus non fuit inventus, etiamsi dominus postea appareat, nulla restitutio ei facienda est. Si vero talis diligens inquisitio facta non fuit, tunc domino comparente, ei restitutio fieri debet.

Q. *Si domino comparente res adhuc extat apud pauperes, tenentur ne illi eam domino restituere?*

R. Quando applicatio facta est eis absque antecedenti accurata diligentia, tenentur restituere. An autem etiam teneantur quando post diligentem factam inquisitionem, rei applicatio facta est eis, dissidium est inter Doctores (1).

Q. *Cui restituendum, si Dominus rei mortuus est?*

R. Haeredibus. Ipsi namque succedunt in omnia jura defuncti.

Q. *At si bona fide res est applicata pauperibus?*

R. Qui eam pauperibus, bona fide, applicavit, ad novam restitutionem faciendam non tenetur, neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione, quia bona fide id fecit (2).

Q. *Quid agendum si quis emat rem, bona fide, et postea invenit eam esse furtivam?*

R. Res domino restituenda est, non venditori; pretium vero solutum, non a domino repeti potest (3), sed a venditore, qui injuste illud recepit, vendens rem non suam (4).

---

(1) Tenent enim aliqui, ad restitntionem non obligari, quia optimo jure facta est illi applicatio. Alii vero dicunt, teneri, quia applicatio, non absolute, sed conditionate tantum illis facta fuit.

(2) Ita Doctores cum Salmat.

(3) Non enim tenetur dominus duplex pretium pro re sua solvere; quippe servari debet indemnis, uti jam dictum est pag. 290.

(4) Atque hoc de jure communi; de novissimo autem jure Neapolitano, si quis emit rem, illam emit in

Q. *Titius, ut effugeret aliquam infamiae notam restituendo per seipsum, rem restituendam consignavit viro communiter putato fideli, vel suo Confessario; sed res ad Domini manus non pervenit, quia vel fuit amissa, vel furata; tenetur ne Titius iterum restituere?*

R. Vel Titius tenetur restituere ex re accepta, aut ex contractu, Ex. gr. depositi, legati etc., et res debita sit in individuo; uti est equs, vestis, annulus etc., et tunc non tenetur iterum restituere (1). Si vero res debita sit in specie; uti esset triticum, pecunia etc., quae cum pereat in manu mediatoris, domino perit, et tunc, ordinarie loquendo, teneretur; sed in praesenti casu, stante impotentia personaliter restituendi sine infamia, videtur non teneri.

Vel tenetur restituere ex injusta acceptione, seu ex delicto, et tunc litigium est inter Doctores (2).

Nundinis, aut in Foro, aut in publica venditione, vel a mercatore similium rerum, tunc potest repetere pretium a Domino rei emptae. Ita art. 2186.

(1) Cum namque ex re accepta, vel contractu fieri debet restitutio, accuratam diligentiam adhibere opus est; quoties ergo Titius talem diligentiam adhibuit, utpote qui, rem restituendam, viro putato fideli, vel confessario consignavit, non tenetur iterum restituere.

(2) Volunt aliqui, Titium non teneri ad novam restitutionem, quia fecit quantum in se potuit, et debuit; non enim restituere tenebatur cum sui infamia; sed persona intermedia, quae non restituit, ad restitutionem teneri. Alii volunt, Titium iterum teneri ad restitutionem, sive res sit debita in individuo, sive in specie, quia in ipso semper remanet radix obligans ad restitutionem; nempe injusta acceptio. Neque praesumitur, creditorem consensisse ad transmissionem rei suae per personam, quantumvis fidelem, nisi sub conditione, quod cum effectu res transmissa ipsi restituatur. Et haec sententia probabilior videtur. Consul. Layman,

Q. *Quo tempore fieri debet restitutio?*

R. A possessore bonae fidei debet fieri statim ac venit in malam fidem, dummodo nihil rationabiliter obstet (1); a possessore autem malae fidei, debet fieri a principio; Ex contractu vero fieri debet, tempore in contractu statuto, si tale tempus est statutum; si vero non est statutum, fieri debet quando dominus petit, aut quando commode fieri potest, vel quamprimum, si dominus vel ob timorem, vel oblivionem non petit.

Q. *Quo in loco facienda est restitutio?*

R. A possessore bonae fidei fieri debet ubi res extat; a possessore autem malae fidei fieri debet in loco, ubi dominus reperitur, vel in quo illam dominus fuisset habiturus. In restitutione vero facienda ex contractu, fieri debet in loco in contractu statuto; vel in loco ipso contractus, si locus non fuit in contractu statutus.

Q. *Dantur ne casus, in quibus a debitore ex re injuste accepta, non est facienda nova restitutio, licet res non pervenerit in manus creditoris?*

R. Affirm. et sunt sequentes, nempe 1. Quando asportator fuit electus a creditore; quia tunc asportator habetur uti creditor ipse; 2. quando creditor dedit facultatem suo debitori, eligendi asportatorem, et debitor elegit virum a se fidelem putatum, quia tunc habetur ut electus a creditore; 3. quando a judice debitor est compulsus ad tradendam rem tali asportatori.

Tract. II. Lib. 3. de Justitia et Jure Cap 12. num. 10. q. 4.

(1) Et ita quidem, ut si culpabiliter est in mora restituendi, cum fiat possessor malae fidei, peccet, et ad restituendum teneatur omnia damna, quae ex privatione rei suae, dominus patitur.

CAPUT VI.

De Causis, quibus suspendi potest onus restitutionis.

Q. *Quaenam sunt causae differendi restitutionem?*
R. Sunt sequentes; nempe 1. bonum creditoris, vel tertii; 2. damnum debitoris, vel proximi (1); 3. impotentia; et 4. cessio bonorum.

Q. *Tenetur ne quis restituere cum jactura boni superioris ordinis, puta vitae, libertatis, virginitatis, sanitatis, vel honoris, et famae?*
R. Minime. Nam restitutio fieri debet ut servetur aequalitas; et consequenter non obligat debitorem, ut longe gravius damnum patiatur, quam sit damnum debitoris (3).

Q. *Si quis statim restituendo caderet a proprio statu, potest ne differre restitutionem?*

---

(1) Hinc si quis sciens, aliquem velle occidere suum inimicum, non tenetur ei restituere gladium ejus, quem penes se habet; quinimo si tunc gladium restitueret, peccaret; et si sequitur occisio, tenetur ad omnia damna, quae inde sequuntur; quia efficax illorum causa fuit; si enim gladium tunc non restituisset, talia damna non fuissent secuta. Similiter si quis habet pecuniam restituendam, non tenetur illam domino restituere, quoties scit, illum tali pecunia abusurum in Dei offensam, animae suae ruinam, et proximi; sed expectare debet tempus opportunius, ut restituat. Nam, ut ait Angelicus Doctor 2. 2. q. 62 n. 4. ad 1. *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur; omnia enim, quae possidentur, sub ratione utilis cadunt.*

(3) Potiori ergo jure differri potest restitutio ad evitandum magnum, et probabile periculum salutis aeternae, quod est damnum spirituale, et quod, nullo alio temporali damno, comparari potest.

R. cum dist. Vel status in quo est, fuit juste acquisitus, et potest differre restitutionem (1); dummodo tamen idem periculum non immineat creditori, quia tunc melior esset conditio creditoris. Vel status fuit injuste acquisitus, puta rapinis, usuris etc., et tunc non potest differre restitutionem, cum hoc non sit proprie cadere a suo statu, sed dimittere alienum, et ad pristinam suam conditionem redire (2).

Q. *Si tam creditor, quam debitor sunt in eadem necessitate, potest ne debitor suspendere restitutionem?*

R. Vel amborum necessitas est extrema, et videndum; si creditor est in extrema necessitate ex furto rei suae, et debitor restituere tenetur, quia in pari causa, melior est conditio innocentis; Si vero ex alia causa, et tunc, juxta multos, non tenetur; quia in isto casu quisque tenetur magis ad propriae, quam ad alienae vitae conservationem; eo vel maxime, quia, in extrema necessitate, omnia sunt communia. Vel amborum necessitas est tantum gravis, et tenetur, quia in tali casu melior est conditio creditoris,

Q. *Qui ex justa causa differt restitutionem, tenetur ne ad lucrum cessans, et damnum emergens, quod creditor, ex dilatione restitutionis, patitur?*

---

(1) Nam, ut optime inquit Praeceptor subtilis in 4. dist. 15. q. 2. *Creditor debet magis velle, ut vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quam modicum incommodum suum, in illa modica dilatione.* Qua de re vir nobilis non tenetur statim restituere, si privari se debeat omni famulatu, aut redigi ad statim pure plebejum. Tenetur tamen, quantum potest intra decentiam, de suo statu detrahere, minuendo, Ex. gr. numerum famulorum, sumptus superfluos, etc., ut sic possit paulatim, et per partes, debita solvere.

(2) Consulendum tamen, quantum fieri potest famae debitoris.

R. Vel debitum est ex delicto, et tenetur (1); vel est ex contractu, et non tenetur, dummodo debitor non fuerit in culpabili mora (2).

Q. *Si quis tempore extremae necessitatis rem alienam consumpsit, tenetur ne ad restitutionem?*

R. Si quod consumpsit in extrema necessitate, ante tempus talis necessitatis accepit, et ad restitutionem tenetur. Si vero in tempore extremae necessitatis accepit; et videndum; si accepit per contractum transferentem dominium, uti per mutuum, emptionem, et tenetur ad restitutionem, quia consumpsit suum; si vero accepit per contractum non trasferentem dominium, puta per commodatum, per depositum, et tunc non tenetur ad restitutionem, quia in tali casu omnia bona sunt communia.

Q. *Potest ne quis differre restitutionem, ne privetur magno lucro?*

R. Non potest. Restituendo enim non patitur damnum in rebus suis; aliunde aequum non est, ut creditor careat rebus suis, ut debitor lucrum percipiat cum damno creditoris (3).

---

(1) Et ratio est, quia licet justa dilatio posterior non sit causa damni; fuit tamen illa prima acceptio, quae, utpote voluntaria, merito censetur causa libera totius damni ex ea secuti.

(2) Quando enim dilatio non est culpabilis, non potest dici justa causa damni secuti. Ex Regula enim 41. Juris in 6. imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. Si autem debitor fuerit in mora culpabili, tenetur, quia licet ab initio non fuerit debitor ex delicto, fuit tamen deinceps, quasi debitor ex delicto, quatenus non restituit cum potuit, et debuit; et consequenter peccavit contra justitiam, et sic ad restitutionem lucri cessantis, vel damni emergentis tenetur.

(3) Si autem lucrum percipiendum, foret illi necessarium ad satisfaciendum aliis creditoribus, tunc ra-

Q. *Quid est cessio bonorum?*

R. Est illa, qua quis impar solvendo omnibus su's debitoribus, relinquit in eorum manibus residuum bonorum, quod habet, ne trahatur in carcerem; aut inde liberetur.

Q. *Cessio bonorum liberat ne totaliter debitorem a restitutione?*

R. Non liberat totaliter, sed tantum dilationem concedit (1).

Q. *Potest ne ingredi Religionem, qui est obstrictus debitis, et impos est ad restituendum, ut sic a restitutione eximatur?*

R. Adest litigium inter Doctores; quidam enim absolute affirmant (2); quidam vero conditionate; si scilicet quis, brevi tempore, manendo in saeculo, tantum se lucraturum existimet, ut debita sua, vel integre, vel magna ex parte, solvere possit. Quale vero sit illud breve tempus, biennium esse docent (3). Aliqui

---

rationi consonum videtur, talem dilationem a creditore permitti.

(1) Et ratio est, quia impotentia non extinguit, sed suspendit solum onus restitutionis. Hinc etiamsi quis cessit bonis, adhuc tamen in foro tam interno, quam externo compelli potest ad laborandum, ut adquirere possit, unde solvat, quantum conditio, seu status personae permittit. Ita ex Lege 4. *ff.* de cessione bonorum.

(2) Inter quos numerantur S. Thomas 2. 2. q. ult. art. 6. ad 3 et S. Antoninus P. 2. tit. § 1. Nam 1. dicunt ipsi: Homo liber, propter debita non obligatur quoad personam, sed solummodo quod bona; quoties ergo cedit bonis, manet liber in persona, adeoque quemcumque statum amplecti potest. 2. Non tenetur quis solvere debitum cum detrimento boni sui longe majoris, vel quod alterius sit ordinis. Sed bonum Religionis longe majus, et altioris est ordinis, quam bonum pecuniarum; Ergo debitor pecuniae non obligatur ad solutionem, si pro ea facienda, bono Religionis privandus sit.

(3) Sanchez *Lib. 4. Moral.* C. 19. n. 8.

tandem absolute docent, quod aere alieno gravatus, si probabiliter existimet, se in saeculo manendo, debita ex contractu, aut delicto provenientia, soluturum esse, Religionem ingredi non posse; et haec sententia vera videtur P. Layman (3).

Q. *At si quis impos ad solvenda hic, et nunc, debita certa, facta bonorum cessione, ingreditur Religionem, et in ea solemnem professionem emittit, est ne valida professio, et liberatur omnino ab onere restitutionis?*

R. Professio est valida (2), sed illicita; ab onere vero restitutionis omnino non liberatur, sed adhuc

---

(1) Qui eam approbatam quoque dicit a Sisto V. et Greg. XIV. apud Correct. Emman. Sà, *verbo Religio* n. 1. Et sane, ait ipse *Lib. III de Just. Tract. II. C3 XII. de Restit.* n. 5. « Cum solutio debitorum sit » juris, ac justitiae naturalis, injuriam infert, qui abs» que necessitate, voluntarie se impotentem reddit ad » solvendum: Atqui talis ingrediendo, ac profitendo, » impotentem se ad solvenda debita reddit voluntarie, » et sine necessitate: cum ingressus in Religionem, in » praecepto non sit; Ergo etc. Secundo; In casu quo » filius, naturali jure, obligatus est succurrere parenti i» nopi, vel aliam miseriam passo, (si videlicet ea alio » modo sublevari non possit) non licet filio Religionem » ingredi, sicuti docet S. Thomas, communiter recep» tus *cit. art.* 6. *in corp. et Quodlibet* 3. *art.* 16. Ergo » neque debitor Religionem ingredi potest; si in saeculo » manendo, creditoribus satisfacere possit, cum ipse non » minus ex justitia obligatus sit ad solvenda debita, » quam filius ad alimenta praestanda patri inopi etc.

(2) Esto namque per Bullam Sixti V., debitis oneratus, inabilis reputabatur ad religiosam professionem emittendam, haec tamen inhabilitas, per Bullam Clementis VIII. sublata fuit. Illicita tamen talis professio dicitur, quia cum solutio debiti sit de jure naturali, et divino, praevalere debet proposito profitendi, quod est tantum de consilio.

obligatus remanet, adeo ut si Monasterio aliquid, salva Ordinis Regula, acquisierit vel gratuita donatione, vel manuum suarum labore, vel alia decenti scientifica occupatione, studeat de illo creditoribus satisfacere (1), quia posterior promissio Religiosae professionis, non potest praejudicare naturali obligationi, hoc est, debito antea contracto.

Q. *Datur ne casus, in quo debitor potest valide, et licite ingredi Religionem, et emittere solemnem professionem?*

R. Ultro fatemur dari, et est, si debitori magnum periculum foret prolabendi in peccatum, aut in aliud grave malum. In hoc enim casu creditor esse non posset rationabiliter invitus, cum ipse teneatur exponere sua fortunae bona pro spirituali salute proximi.

CAPUT VII.

De Causis, quibus obligatio restitutionis tollitur.

Q. *Quaenam sunt causae, quae restitutionis obligationem tollunt?*

R. Sunt sequentes; nempe 1. *Condonatio*: 2. *Compositio*; 3. *Compensatio*; et 4. *Praescriptio* (2).

Q. *Quid est Condonatio?*

R. Est remissio debiti, a creditore, facta debitori.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ut Condonatio sit valida?*

R. Requiruntur hae conditiones; nempe 1. ut

---

(1) Ita docet Innoc. *in rubr. de obligatis ad ratiocinia*, et alii cum ipso.

(2) De Praescriptione hic verba non facimus; quia de ipsa erit sermo in Tractatu de Justitia et Jure, ubi agitur de modo acquirendi dominium.

sit *omnino libera*, *et voluntaria* (1); 2. ut non sit a jure impedita, et annullata (2);

Q. *Si quis debitori partem debiti remittit ob timorem perdendi totum, est ne valida talis remissio?*

R. Si talis timor oritur in creditore, quatenus ne perdat totum, contentus est de parte, et tunc condonatio est valida; si vero oritur a debitore, qui minitatur, quod si creditor de parte non sit contentus, nihil omnino recipiet, et tunc talis condonatio valida non est.

---

(1) Quare nullae sunt illae condonationes, quae fiunt ex errore, metu gravi, fraude, nimiaque debitoris tergiversatione: Ex. gr. Si debitor grave malum minatur, nisi remittat; aut si precibus importunis inducat ad debitum condonandum; ita ut creditor malit potius sua pecunia privari, quam tantam importunitatem perferre; aut etiam si debitor se fingit pauperem; Nam in istis casibus, creditor non voluntarie, et libere debitum remittit.

(2) Hinc, quia a jure annullatae, nullae sunt 1. condonationes factae a pupillo, vel minore, sine consensu Tutoris, vel Curatoris; nec non factae a filiis familias, remittentibus debitum Patris, aut ab uxoribus remittentibus creditum mariti; 2. nulla est condonatio de acceptis distributionibus facta Canonico non assistenti Divino Officio: *Ex Trident. Sess.* 34. *Cap.* 12. *de Reformatione*; 3. nullae sunt condonationes, quae a visitatis fiunt visitantibus Ecclesiam, praeter sumptus necessarios. Et ita quidem, ut Visitatores teneantur, intra mensem, restituere duplum, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae, ipso facto incurrenda, si sint Episcopi, suspensionis vero ab officio, et beneficio, si sint inferiores; uti statuit Gregorius in Cap. *Exigit* 2. *de cens*: , *et exactione*. 4. tandem nulla est condonatio facta Judici delegato, qui ex causa accessus, aliquid accepit a partibus, praeter esculenta, et poculenta, aliasque expensas necessarias. Consulatur C. Statutum D. Insuper et p. *Si quid in Rescriptis* in 6.

Q. *Ut condonatio sit vere valida requiritur ne expressa voluntas Creditoris debitum remittentis, an sufficit etiam praesumpta?*

R. Juxta multos, sufficit praesumpta, modo tamen debitor sit moraliter certus, creditorem habere talem voluntatem; uti est voluntas Patris condonantis filiis aliquid non tanti momenti, quod filii secreto abstulerunt; aut voluntas Dominorum consentientium in condonationem restitutionis, dum famuli, ac domestici, aliqua exculenta, et poculenta surripiunt (1).

Q. *Quid dicendum si uni ex concausis facta fuerit condonatio?*

R. Si condonatio facta fuit causae principali, scilicet mandanti, et tunc aliae concausae a restitutione excusantur: quia solum in defectu principalis obligantur; si vero facta fuit causae secundariae, hoc est executori, et tunc etiam caeterae aliae, et positivae minus principales, et negativae causae excusan-

(1) Haec autem doctrina, jure, valde periculosa reputatur; et hinc haud facile in praxi ponenda. Nam idem certe non est *condonassem*, ac *condono*. Aliunde quis non videt quam ampla, et spatiosa via furtibus aperiretur, posita tali doctrina? Filii, et filiae, sub praetextu, quod a parentibus diligantur, et quod Parentes sint cum eis faciles ad condonandum, ad surripiendum assuescerent, et bona familiae aliquando dilapidarent, ut saepius experientia docuit, et docet; uxores captae persuasione quod a maritis diligantur, et quod nihil ab eis denegetur, familiae bona extinguerent; et famulae, sub praetextu, quod sui domini sunt liberales, et facile eis condonarent, quae surripiunt, ad facilius surripiendum animosiores redderentur. Quare si quid filii à parentibus, uxores a maritis, famuli, et famulae a dominis surripierunt, vel condonationem expressam petere debent; vel omnino restituendum, nisi tamen res ablata sit tam levis, ut ex quodam usu, condonata censeatur.

tur ; si denique facta fuit uni inter concausas positivas minus principales, et tunc negativae excusantur; aliae vero causae ejusdem generis positivae, excusantur a parte condonata tantum , non vero a toto.

Q. *Quid venit nomine Compositionis?*

R. Compositionis nomine duo veniunt; 1. Amicabilis conventio, qua creditor, debitori partem debiti remittit , quae si est de debito certo , idem est ac condonatio ; si vero est de debito incerto, et controverso , vocatur transactio (1) ; 2. Rescriptum a Summo Pontifice obtentum , quo debitor possit sibi applicare bona incerti creditoris.

Q. *Compositio priori sensu accepta liberat ne a restitutione?*

R. Si est omnino libera, et a jure non impedita, utique liberat ; secus vero non (2).

Q. *Compositione, posteriori sensu accepta, tollitur ne obligatio restituendi?*

R. Maxime. Nam bona ista , de jure positivo , ponenda sunt in capsa incertorum , in quo Summus Pontifex dispensare potest ; atque hinc efficere , ut

---

(1) Quando enim debitum non est liquidum , sed controversum vel quoad substantiam , vel quod quantitatem , et partes invicem inter se paciscuntur, arbitrio boni viri , ista conventio in jure vocatur transactio ; quae si fit absque vi , vel fraude , liberat ab ulteriori restitutione. Hinc *Transactio est non gratuita pactio de re dubia , et controversa.*

(2) Quare nulla erit illa compositio , si creditor ideo partem debiti remittit , quia ex malitia debitoris cogitur subire multas molestias in sollicitando, in saepe veniendo, diu expectando, etc. Item si debitores compositionem extorquent a creditoribus. In his enim , et similibus casibus , si creditores partem debiti remittunt , id coactione faciunt , non libera voluntate ; hoc est , ne totum creditum perdant.

debitor, per compositionem, sibi applicet bona incerta, et ab eorum restitutione eximatur.

Q. *Quid agendum si post acceptam a Summo Pontifice bonorum incertorum applicationem, verus, et certus illorum dominus appareat?*

R. Dissidium est super hoc inter Doctores (1).

Q. *Quid est compensatio?*

R. Compensatio est debiti, et crediti, invicem inter se, contributio.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ut Compensatio sit valida?*

R. Quatuor conditiones requiruntur; nempe 1. ut debitum sit certum, et liquidum (2); 2. ut sit certum ex justitia commutativa (3), 3. ut creditor se compenset ex bonis debitoris, (4) et 4. ut compen-

---

(1) Volunt enim aliqui, faciendam non esse domino restitutionem, quia de illis debitor dominium adquisvit, quippe qui a legitima potestate illorum applicationem obtinuit. Alii vero, et quidem probabilius, dicunt, faciendam esse restitutionem, dummodo tamen res extet, vel possessor factus sit ditior, quia Summus Pontifex, per compensationem, non intendit praejudicium tertii.

(2) Iniquum enim esset, propria auctoritate sumere solutionem certam pro debito tantum probabili; Hinc dicitur compensationem fieri debere *de liquido ad liquidum*, etiamsi debitum sit probabile, probabilitate Juris. Unde non licet Legatario compensare legatum sibi relictum ex Testamento minus solemni.

(3) Quare locum non habet compensatio ex mera gratitudine; eo quod nullum jus parit ad rem. Hinc si Titius relinquat Legatum Cajo sub spe ut subveniat suis consanguineis, non possunt consanguinei elam surripere aliquid a Cajo, etiamsi Cajus defraudet spem illam, vel ingratus se reddat.

(4) Quapropter nulla est Compensatio, quae fit de re, quam debitor habet titulo commodati, aut depositi,

satio sit aequalis debito (1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ut compensatio sit licita?*

R. Tres conditiones; nempe 1. ut absit scandalum, aut periculum damni tertii (2); 2. ut non sit alia via reperandi creditum (3); et 3. ut moneatur debitor de compensatione jam facta (3).

Q. *Si quis immemor debiti, gratis dedit suo creditori, quantum ei debebat, tenetur ne adhuc ad debiti restitutionem?*

R. Tenetur. Nam qui gratis dat, non exercet actum justitiae, sed liberalitatis (4).

---

cujus nempe, ipse non est dominus; aut de re, quam debitor commodavit creditori, vel apud creditorem deposuit; in hoc enim casu creditor ageret contra fidelitatem, et obligationem depositi, vel commodati.

(1) In tali enim casu creditor injuste surriperet, excessum, et per hoc, ad restitutionem et ipse teneretur.

(2) Hinc si compensationem faciendo, posset aliquis alius imputari de furto, et obligari ad restitutionem, abstinendum est a compensatione. Ex lege enim charitatis, tenemur impedire grave malum proximi, quoties possumus, sine nostro gravi incommodo.

(3) Si enim alia via superset creditum recuperandi, uti recurrendo ad Judicem competentem, compensatio, propria auctoritate facta, illicita est. In tali enim casu violaretur ordo justitiae, quae postulat, ut judicia a legitimo Judice exerceantur; Ex *L. un. C. Ne quis in sua causa*, in qua sic habetur; *Generali lege decernimus, neminem sibi esse Judicem, vel jus sibi dicere debere.* Verum haec obligatio non oritur ex justitia commutativa, sed ex justitia legali; adeoque ejus defectus non obligat ad restitutionem.

(3) Prospiciendum namque vel maxime est, ne debitor bis solvat, quod accideret, si de restitutione per compensationem facta, non admoneretur.

(4) Hinc creditor semper repetere potest debitum,

Q. *Si aliquis juramento promittit se soluturum debitum, absque eo quod intendat compensationi cedere, quia est illius immemor, potest ne non solvere, utendo compensatione?*

R. Potest. Nam compensatio, regulariter, locum habet in omni debito; et hinc etiam in juramento; quia juramentum, ex Cap. 25. *Quemadmodum*, sequitur naturam actus, cui adhaeret.

Q. *Liberatur ne ab obligatione restitutionis, qui restituit, quod debet, creditori sui creditoris?*

R. Si utrumque debitum est ob eamdem causam contractum, a restitutione liberatur (1); quia tunc nulla irrogatur creditori injuria. Si vero tale debitum est ob diversam causam contractum, et tunc non conveniunt inter se Doctores.

Q. *Quinam sunt illi, qui contra Decimum Praeceptum agunt?*

R. Omnes illi sunt, qui bonorum temporalium amore obcaecati, nunquam satiantur bonis, quae sibimetipsis sufficiunt; unde et aliorum divitiis ditescere cupientes, ad illa surripienda avide anhelant, ita ut etiam pravis modis, atque illicitis artibus, illis ditari cuncupiscant (2).

---

nisi ex conjecturis colligatur, debitorem voluisse habere pro soluto, si quid deberet. Nec obstat, quod si debitor meminisset sui debiti, gratis non donasset; nam cum in contractis attendenda sit actualis voluntas, et non conditionalis, per istam non excusatur debitor a restitutione; quia aliud est *fecissem*, et aliud *feci*.

(1) Glossa *Instit. Quibus modis tollitur obligatio, in princ. verb. solutio fiat.* Hinc si quis conduxit, Ex. gr. domum a Titio, qui eam antea a Cajo conduxerat, a pensionis solutione facienda Titio liberatur, si illam Cajo jam fecerit. Ita ex Lege — *Utrum praesente ff. de constituta pecunia.*

(2) Huius itaque Praecepti transgressores sunt, 1. Qui aut ludis inhonestis delectantur, aut ludis immo-

TRACTATUS VIII.

DE VIII. DECALOGI PRAECEPTO.

Quoniam homo, natura sua, originali peccato corrupta, pronus est ad fallendum, et mentiendum; unde et *Omnis homo mendax*, a Regio Psal e (1) dicitur, Deus qui verax est, et summe diligit veri-

---

derate abutuntur. 2. Mercatores, qui mercium penuriam, aut illarum caritatem exquirunt; atque aegre ferunt, ut alii, praeter ipsos sint, qui vendant, aut emanat, quo carius vendere, aut vilius emere ipsi possint. 3. peccant qui alios egere cupiunt, ut ipsi, aut vendendo, aut emendo ditescant. 4. Duces, et Milites qui Bellum expetunt, ut Regionum, vel Urbium depopulatione, et furtis, divitias adquirant. 5. Medici qui morbos desiderant; vel industriose curationes protrahunt, ut ipsis pensiones pro visitatione solvantur, et lucrari non desinant 6. Jurisconsulti, qui causarum, litiumque vim, et copiam concupiscunt, et variis, atque iniquis modis, causarum solutionem non expediunt, vel plus aequo causae difficultatem exagerant, ut salarium ipsis pinguius tribuatur. 4. tandem, Artifices qui quaestus avidi, omnium quae ad victum, cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurium lucri faciant. *Ita ex Chatechismo Romano* P. III. de X. Praec. n 23. et ex aliis communiter Doctoribus. Porro quantum talia desideria sint hominibus noxia, atque hinc detestanda, facile deducitur ex verbis D. Pauli I. ad Timat c 6. *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus; nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentantionem, et in laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.*

(1) Psal. 115. v. 2.

tatem, ne hac imbecillitate sua, homo in sui, et aliorum perniciem fallendo, et mentiendo, abuteretur, simulque fama, et honor proximi salvi, et illesi persisterent, postquam praeceperat, nullum damnum esse proximo in rebus fortunae inferendum, aliud praeceptum addidit, non dicendi falsum testimonium contra proximum, his verbis (1): *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*; quo damna omnia, quae ipsi fieri possent in honore, et fama, quae certe bona, sunt superioris ordinis, ac bona fortunae, omnino fieri prohibuit. Heu! si ad hoc non prospexisset Deus, quis unquam a gladio linguae iniquae, et a labiis dolosis illesus abiret? *Lingua*, ait S. Jacobus (2), *modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit? Et lingua ignis est, universitas iniquitatis . . . Linguam nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero.* In hoc itaque praecepto, duo nobis injunguntur; nempe 1. ne dicamus falsum testimonium contra proximum; 2. ut simulationibus., fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra, simplici veritate metiamur; quemadmoa docuit Apostolus ad Ephesios scribens (3). *Veritatem facientes in charitate, in illo crescamus per omnia.* Nos ergo de hoc praecepto in praesenti Tractatu agentes, distinctis capitibus, quae de falso testimonio, et aliis, quae sub nomine falsi testimonii comprehenduntur, veluti Detractione, Contumelia, Derisione, Convitio, Susurratione, Mendacio (4), et hujusmodi, scienda sunt, explicabimus.

---

(1) Exodi Cap. XX. v. 16. Deuter. V. v. 20.

(2) Cap. III. v. 5. et seq. Consule. Jacob. Tirinum in hunc locum.

(3) Cap. IV. v. 15.

(4) De Mendacio supra dictum est Tract. II. Cap. IV. pag. 102.

CAPUT I.

De Falso testimonio.

Q. *Quid per falsum testimonium hic intelligitur?*

R. Per falsum testimonium, generatim intelligitur quidquid, falso, sive in bonam, sive in malam partem, de altero constanter dicitur, sive in judicio, sive extra judicium; strictius autem, falsum testimonium, est quidquid sive in bonum, sive in malum alicujus, coram legitimo Judice, in Judicio, falso asseritur, et juramento confirmatur; ut sic Divino nomine interposito, quod asseritur, plus ponderis habeat, et majorem fidem mereatur.

Q. *Licet ne testari falsum in utilitatem proximi?*

R. Non licet. Mendacium namque, et falsum testimonium, sunt intrinsece mala; adeoque nunquam licita, et facienda (1).

Q. *Quali culpa inficeretur, qui in gratiam alterius, falsum Testimonium diceret?*

R. Is certo laethali culpa, et quidem gravissima, inficeretur, cum ut homini placeat, Dei nomine abutatur, et multorum malorum causa fiat, quae praecaveri, admodum difficile est, ne dicam impossibile (2).

---

(1) *Non sunt enim facienda mala ut eveniant bona.* Quare S. Augustinus de mendacio ad Crescentium scribens, docet, mendacium in falsis testimoniis numerandum esse, etiamsi in cujusquam falsa laude dicatur. Tractans enim illum Apostoli locum I. ad Corint. Cap. 15. v. 15. *Et falsi testes Dei, si testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum quem non suscitavit, si mortui non resurgunt*: Falsum, *in» quit*, testimonium vocat Apostolus, si quis de Chri» sto, et quod ad ejus laudem videtur pertinere, men» tiatur ».

(2) Vid. Catechismus Romanus P. III. de 8 Praec.

Q. *Incidunt ne in aliquam poenam qui Testimonium falsum, stricte sumtum, in Judicio deponunt?*

R. Jure nostro municipali, ipso facto, incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam; In quam. incurrunt etiam illi, qui consilio, mandato, favore, vel alio modo simili ad id inducunt; nec non omnes, qui scriptura, vel falsa depositione utuntur (1).

Q. *Quid de illo, qui falsum quidem Testimonium contra proximum in Judicio diceret, sed absque juramento?*

R. Ille laethaliter quidem peccaret; quia mentiretur; sed in supradictam excommunicationem non incideret.

Q. *Quae conditiones requiruntur, ut talis excommunicatio incurratur?*

R. Sequentes; nempe 1. grave damnum alterius; 2. Ut falsum deponatur in Judicio; et 3. ut adsit fraus, et dolus.

Q. *Quantum debet esse damnum, ut existimetur grave, et excommunicatio incurratur?*

R. Dissident inter se Theologi. Volunt aliqui, id prudentum arbitrio definiendum esse. Alii probabilius tenent, sufficere pro divitibus quinquaginta aureos, decem vero pro pauperibus (2).

C. IX. n. 6. Nec non Doctores passim; et ipsa experientia. Unde de talis mendacibus loquens Regius Psaltes, Psal. 5. v. 7. Deo inquit: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

(1) Uti patet ex Casu VI. in Tabella, cum excommunicatione, reservato.

(2) Et ratio est, quia ut testatur Genuensis, in praxi Curiae Archiep. Neapol., in Dioecesi Neapoli, numquam publicatur excommunicatio, nisi pro 50. aureis, si loquatur de damno diviti facto, et saltem decem pro damno pauperi causato.

Q. *Si Testis, juridice interrogatus, tacet veritatem, tenetur ne ad restitutionem pro damnis, quae sequuntur?*

R. Si testis interregatus respondet, se factum nescire, cum illud sciat, dicunt multi Theologi, ad restitutionem non teneri; quia tacendo veritatem, non peccat contra justitiam, sed contra obedientiam, vel contra Religionem, cum non teneatur veritatem aperire, nisi aut expresso Judicis praecepto, aut ex juramento praestito (1).

Q. *Reus a legitimo Magistratu interrogatus, tenetur ne verum dicere?*

R. Tenetur; quippe mentiri est intrinsece malum. Aliunde veri confessio in laudem, et gloriam Dei redundat (2).

Q. *Quonam itaque modo Testes se gerere debent?*

R. Cum ipsi ante cospectum Judicis in Judicio sunt, ut de aliqua re interrogentur, omnino tenentur veritatem dicere, prout recta ipsorum conscientia dictat; neque eis licet aut tacere, aut occultare quod verum est, et falsum dicere (3). Caveant ta-

---

(1) Verum haec sententia aliquibus non arridet. Nam dicunt ipsi: Testis per mandatum Judicis tenetur ex officio veritatem aperire; Ergo si veritatem celat, ad restitutionem tenetur. Ast hoc argumentum nullius est roboris; Nam officium non influit ex aliquo pacto, vel contractu, sed ex mero praecepto; ac proinde ex obedientia; ideoque veritatem celans, erit inobediens contumax, non autem injustus.

(2) Et hoc clare quidem eruitur ex verbis Josue, qui adhortans Achan ad veri confessionem, dixit. Cap. VII. v. 19. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi, quid feceris, nec abscondas.*

(3) Hinc recte S. Augustinus: *Qui veritatem oc-*

men quammaxime Testes, ne suae memoriae nimium confisi, pro certo affirment, quod exploratum non habent.

CAPUT II.

De Detractione, sive Murmuratione.

Q. *Quid est detractio?*

R. Detractio est alienae famae occulta, et injusta diminutio, sive denigratio (1). Murmuratio autem dicitur, quando aliquis factum aliquod publicum, quod posset in bonam partem accipi, in malam accipit. Insuper calumnia, si falsum crimen, aut defectus alicui deponantur.

Q. *Quid est fama?*

R. Fama est bona communis opinio virtutis, sapientiae, aliarumque rerum praeclare gestarum alterius.

Q. *Quotupliciter fieri potest Detractio?*

R. Dupliciter; directe nempe, et indirecte. Et quidem directe, quatuor modis fieri potest; nempe 1. Imponendo falsum crimen; 2. Amplificando verum crimen; 3. Revelando verum crimen occultum; et 4. Opus bonum alterius in sinistram partem interpretando (2). Indirecte vero etiam quatuor modis fieri

---

cultat, et qui dicit mendacium, uterque reus est: ille quia prodesse non vult; hic quia nocere desiderat.

(1) Ad detractionem ergo duo requiruntur 1. nempe ut aliquid dicatur, quod alterius famam, atque extimationem, minuere, aut extinguere possit; 2. ut fiat occulte, saltem juxta intentionem dicentis.

(2) Hi quatuor modi faciendi directe detractionem, sequenti versiculo continentur:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

potest; 1. scilicet negando recte facta, et bona alterius; 2. Ea minuendo; 3. Reticendo bona alterius eo loco, et tempore, quo caeteri reticentiam accipiunt pro tacita vituperatione; et 4. frigide et simulate laudando, ut hoc cadat in vituperium laudati (1).

Q. *Quale peccatum est detractio?*

R. Detractio est, ex genere suo, peccatum laethale contra justitiam; et quidem gravius furto (2); levius vero homicidio. Potest tamen esse veniale, ob parvitatem materiae, aut imperfectionem actus.

Q. *Quotuplex est detractio?*

R. Detractio duplex est; *formalis* nempe, et *materialis*; formalis est, quae fit scienter, et animo auferendi famam proximo; Materialis vero est illa, quae fit sine illa prava intentione.

Q. *In quo differunt inter se, detractio formalis, et materialis?*

R. Differunt solummodo quoad modum, non quoad malitiam, cum utraque detractionis species, posita gravitatae materiae cum advertentia, sit peccatum mortale, licet materialis excusari possit a mortali, si fiat justa de causa (3).

---

(1) Et hi quoque, hoc alio versiculo comprehenduntur.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

(2) Nam laedit proximum in fama, quae est bonum longe praestantius bonis fortunae; uti testatur auctor Proverbiorum Cap. XXII. v. 1. dicens: *Melius est bonum nomen quam divitiae multae.* Unde et Ecclesiasticus C. XII. v. 15. *Curam habe*, inquit, *de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri praetiosi, et magni.*

(3) Caeterum, materialis detractio, non desinit aliquando esse mortalis, si id quod inadvertenter nar-

Q. *Datur ne in detractione aliqua circumstantia, quae illam reddat graviorem, et mutet ejus speciem, necessario in confessione aperiendam?*

R. Affirm. Et est 1. quando detractio est contra Sacerdotem (1); et multo magis contra Communitatem Religiosam, Episcopum, vel Superiores alios Ecclesiasticos (2); 2. quando detractio est contra Parentes (3), contra Magistratus, Reges etc. (4).

Q. *Detractio est ne semper peccatum mortale?*

R. Quoties manifestatio est peccati mortalis, et graviter laeditur fama proximi, semper est peccatum mortale. Si vero manifestatio est quidem peccati mortalis, sed fama proximi leviter tantum offenditur, et tunc potest esse veniale (5). Insuper si manifestatio

---

ratur, famam proximi graviter laedat· Et « ratio est, inquit P. Anacletus Tract. IX. de Praec. Decalogi Dist. » VI. q. 1. n. 6. quia, etsi expresse quis non intendat laedere famam Proximi, adhuc tamen implicite, » et in sua causa hoc intendit, dum vult illud, unde » per se gravis laesio sequitur.

(1) Quia habet malitiam contra reverentiam Sacerdoti debitam C. *Sacerdos* 6. q. 1. et jam dixerat Ecclesias. Cap. v. 33. *Honorifica Sacerdotes.*

(2) *Qui* enim *bene praesunt presbyteri*, ait Apostolus I. Timot. Cap. V. v. 17. *duplici honore digni sunt.*

(3) Talis enim detractio habet malitiam contra pietatem parentibus debitam, et adversatur praecepto Divino parentes honorandi; itaut qui illos non honorat, Deum timere dicendus non est: Nam; *qui timet Deum*, inquit Eccles. Cap. III. v. 8. *honorat parentes.*

(4) Ipsi enim vices Dei in Mundo gerunt; adeoque, qui eos diffamat, aut spernit, Deum ipsum spernit. Lucae X. v. 16. Unde in Eccl. XX. v. 10. habetur: *Regem honorificate.*

(5) Hinc si quis diceret, militem commisisse duel-

est peccati solummodo venialis, et tunc, per se loquendo, non est mortale, quia non solet multum laedere famam proximi, cum nullus vivat sine peccato veniali. Quandoque tamen esse potest peccatum mortale; veluti cum quis diceret aliquem habere consuetudinem mentiendi, licet in re levi. Nam qui talem habent consuetudinem, communiter parvifiunt ab hominibus, maxime si hoc dicatur de aliquo Sacerdote, vel Religioso.

Q. *Si quis defectus naturales alicujus manifestaret, peccaret ne graviter peccato detractionis?*

R. Regulariter loquendo graviter non peccaret, quia manifestatio talium defectuum non solet graviter laedere famam proximi. Datur vero casus, in quo esse potest mortale contra justitiam; et est, quando talis manifestatio impedit a consecutione magni boni; aut infert aliquod notabile damnum.

Q. *Si quis, sine manifestatione personae, diceret, in tali Religione esse aliquos discolos, aut unum ex Cononicis talis Collegiatae, esse simoniacum, peccaret ne graviter?*

R. Minime; quia nullus in particulari infamatur.

Q. *Peccat ne laethaliter qui revelat crimen alicujus, uni, vel duobus, ob finem honestum; scilicet ad emendationem illius?*

R. Minime. Nam cum adsit justa causa; nempe emendatio, et bonum animae delinquentis, non censetur iste rationabiliter invitus; adeoque etc.

Q. *Peccat ne laethaliter, qui revelat crimen alterius, uno, vel duobus viris prudentibus, taciturnis, vel amicis fidelibus, qui secretum retinebunt?*

R. Litigium est inter Doctores; verum rectius

---

lum; aut adolescentem esse prodigum, laethaliter peccare existimandus non esset; in his enim casibus nulli fit notabile damnum in fama.

videtur, peccare, quia aegrius fertur, apud unum virum prudentem diffamari, quam apud plures infimae sortis (1).

Q. *Quomodo peccat qui alteri manifestat injuriam sibi factam?*

R. Si id facit animo detrahendi, ut se vindicet, et peccat mortaliter, quia habetur formalis detractio. Si vero id facit animo dolorem mitigandi, vel accipiendi consolationem ab amico, et tunc a mortali excusatur.

Q. *Si quis refert alterius crimina ab aliis audita, sine tamen asseveratione, et animo nocendi, peccat ne laethaliter?*

R. Negative, quia non videtur, injuste famam alterius graviter laedere, dummodo tamen sequentes habeantur conditiones; nempe 1. Ut referens non sit tantae auctoritatis, ut illi facile credatur; 2. Nec augeat, aut magis confirmet audita; 3. Nec dicat se audivisse a tali persona, quae faciat fidem; 4. Nec referat coram illis, qui eamdem rem possint aliis manifestare; 5. Nec narret crimina valde gravia, uti haeresim.

Q. *Licet ne manifestare in alio loco crimen, quod in uno loco est publicum?*

R. Ante responsionem notandum est, quod crimen tripliciter dici potest publicum; scilicet 1. Publicitate facti; 2. Publicitate juris; et 3. Publicitate famae. Dicitur crimen publicum publicitate facti, quando in praesentia multorum perpetratum est; ut in foro, in publica platea etc. Dicitur publicum publicitate juris, quando per Judicis sententiam declaratum est; aut quando constat vel per confes-

(1) Ita Angelicus Doctor 2. 2. q. 37. art. 1. ad 2. Monent tamen Lessius, Navarrus, Bonacina, et Molina, non esse mortale, dummodo id fiat causa capiendi solatium amico prudenti.

sione Rei, vel per Testium depositionem, ante Judicis sententiam. Dicitur tandem publicum publicitate famae, quando licet crimen commissum fuerit in secreto, tamen jam pervenit ad notitiam multorum; qui tamen, multi existimandi, sunt judico prudentis, attentis circumstantiis. His positis

R. Manifestare crimen publicum, publicitate juris, non est grave peccatum, neque contra justitiam (1), quando talis publicitas habetur per sententiam Judicis (2). Manifestare autem crimen publicum publicitate juris, vel per confessionem Rei, vel per Testium depositionem, est grave peccatum contra justitiam, quando tamen in illo loco, ubi crimen manifestatur, non tam facile perventura erat ejus notitia (3). Tandem manifestare crimen publicum publicitate facti, vel famae, in loco, ubi fama non erat illud facile perlatura, juxta multos est peccatum grave contra justitiam (4); juxta alios vero est peccatum contra charitatem.

Q. *Titius falso intulit infamiam Cajo, potest ne Cajus detegere verum, et occultum illius delictum, ut recuperet suam famam?*

R. Si aliam viam non habet Cajus ad defendendam suam famam, et talis manifestatio est utilis, et

---

(1) Reus enim, per Judicis sententiam, amittit jus ad famam in omni loco, in quo Judex jus habet; et consequenter, non potest juste conqueri de sua diffamatione.

(2) Dari tamen potest casus, in quo quis peccet contra charitatem, sine justa causa, crimen manifestando in loco, in quo fama non erat perlatura; eo quia, sine justa causa, infertur grave damnum proximo.

(3) Et ratio est; quia unusquisque habet jus ad possidendam bonam famam, donec ea, per sententiam Judicis, privatus non sit.

(4) Reus quippe in eo loco illesam habet famam, adeoque injuste ea privatur.

necessaria ad suae famae defensionem, et tunc potest; secus non

Q. *Si quis imponit alteri grave crimen falsum ad seipsum tuendum, quale peccatum committit?*

R. Peccatum laethale, quia in nullo casu licitum est falsitatem proponere (1).

Q. *Dantur ne Casus, in quibus licitum est revelare occultum crimen alterius?*

R. Dantur, et sunt sequentes; 1. ad evitandum damnum publicum (2); 2. ad tuendum innocentem; 3. ad evitandum grave damnum proprium.

Q. *Qui detrahentem audit, quale peccatum committit?*

R. Si libenter audit, aut ipsum inducit, et excistat ad detrahendum in odium illius, cui detrahitur, et tunc laethaliter peccat, aeque ac detractor (3),

---

(1) Quare merito Innocentius XI. damnavit proposit. illam n. 44. in ord., quae ita se habet: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat.*

(2) Hinc licitum est patefacere ignorantiam Medici, Advocati, Theologi, quando eorum imperitia vergit in grave damnum proximi. Item licet manifestare defectum illorum, qui aliquem statum volunt assumere; Ex. gr. Clericalem, Religiosum, Matrimonialem, quando defectus opponitur professioni assumendae, et manifestatio fit ad illos, ad quos spectat, non aliis. Sicut etiam licitum est ad petendum consilium a viro prudente; ad emendationem delinquentis etc., servato tamen ordine charitatis.

(3) Nam: *detrahere, et detrahentem audire*, inquit S. Thomas, *quid horum detestabilius est, non facile dixerim*. Et antea dixerat S. Augustinus Lib. de salut. documentis C. 26. in append. T. 6. *Detrahentis et audientis, utrisque esca mortis est animae detractis, et ut brevius concludam, detractor, et libens auditor Diabolum portat in lingua.*

contra justitiam, et charitatem (1); imo quandoque gravius ipse, detractore; et si sequuntur damna, ad restitutionem tenetur.

Q. *Quid dicendum de illo, qui non inducit, nec movet ad detrahendum; solummodo non impedit cum possit?*

R. Si ille talis est Superior, et detractor est subditus, peccat contra justitiam, quia ratione sui officii impedire tenetur, ne subditi alios injuste laedant. Si vero non est Superior, et potest sine gravi suo incommodo detractorem impedire, et non impedit, peccat solum graviter contra charitatem, quia unusquisque, ex lege charitatis, tenetur sub gravi impedire grave damnum proximi, quando potest absque suo gravi incommodo.

Q. *Dantur ne casus, in quibus non peccat, qui detractorem non impedit?*

R. Affirm.; et sunt sequentes; Primus nempe, quando impedire detractorem idem esset ac ipsum ad majorem detractionem excitare.; 2. Quando non est moraliter certus, quod detrahens injuste loquatur; 3. quando judicat, detrahentem habere justam causam, scilicet ut consilium petat, et utiliter aliquem moneat; et 4. quando prudenter putat, monitionem non fore utilem, quia charitas non obligat sine necessitate, et utilitate.

Q. *Quomodo peccat qui infamat seipsum?*

R. Vel quis imponit sibi falsum crimen grave, et peccat laethaliter, propter mendacium, quod est intrinsece malum; vel revelat vera, sed occulta sua crimina, et id facit ob motivum humiliationis, et ordinarie loquendo, non peccat, quia id facit ad bo-

(1) Contra justitiam quidem, quia est injusta moralis causa detractionis. Contra charitatem vero, quia detractorem ad detrahendum inducit.

num finem; quod si infamia redundat in infamiam filiorum, familiae, etc., et tunc graviter peccat, quia infert damnum aliis (1). Vel tandem imponit, ob alium finem, et secundum aliquos, graviter non peccat; quia quilibet est veluti dominus suae famae.

Q. *Quinam sunt casus, in quibus infamans seipsum, graviter peccat?*

R. Sunt tres; nempe 1. quando se jactat de crimine mortali, delectando se in eo; 2. quando se infamando, exponitur periculo vitae; et 3. quando se infamando affert alteri scandalum, vel grave nocumentum.

Q. *Quid agendum quoties cum aliquo detractore invenimur?*

R. Vel debemus modestis verbis illum reprehendere, et a detractione revocare; vel discursum interrumpere, ad aliud vertendo sermonem; vel saltem, per tristitiam vultus, ostendere, detractionem displicere (2).

CAPUT III.

De Contumelia, et modis, quibus accidit.

Q. *Quid est Contumelia?*

R. Contumelia est diminutio honoris facta coram eo, cui infertur, sive factis, sive dictis.

---

(1) Hinc S. Augustinus L. 1. de Civit. Dei Cap. 20. scribit: *Prohibetur quemquam adversum se falso testari, sicuti proximum; quemadmodum de praecepto*: Non occides, *una et proximi homicidium et proprium prohibetur.* Et serm. 51. ad fratres in eremo: *Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est.*

(2) Ut enim ait Sapiens Proverb. XV. v. 22.: *Ventus aliquando dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.*

Q. *Quid est honor?*

R. Honor est actus, quo quis testatur, et manifestat verbis, vel signis externis, opinionem quam habet de alterius excellentia.

Q. *Debemus ne omnibus honorem tribuere?*

R. Utique debemus (1); et quidem secundum qualitatem excellentiae, quam prae aliis obtinent (2).

Q. *Contumelia differt ne a detractione?*

R. Differt tum ratione objecti; quia detractio laedit famam, contumelia honorem; tum ratione modi, quia detractio fit clam, et contra absentem, contumelia vero palam, et contra praesentem (3).

Q. *Quotuplici modo accidere potest Contumelia?*

R. Triplici modo; nempe 1. verbo; 2. facto; 3. scripto. Illa quae fit verbo comprehendit Convitium, et Improperium. Quae fit facto comprehendit Irrisionem, et Susurrationem; quae vero fit scripto comprehendit Libellum famosum.

Q. *Quid est Convitium?*

R. Est species Contumeliae, qua injuriose expro-

(1) Apostolus namque ad Romanos scribens ait C. XII. *Honore invicem praevenientes*; Et D. Petrus Epist. I. Cap. 2. inquit: *Omnes honorate.* Hinc D. Thomas in III. Sent. 9. q. 2. art. 3. scribit: *Cuilibet habenti imaginem Dei est exibendus honor, nisi confirmatus in malo.*

(2) *In quolibet* enim, ait laudatus Doctor Angelicus 2. 2. q. 103. n. 2. ad 3. *reperitur aliquid, ex quo potest aliquis eum superiorem reputare, secundum illud ad Philippensens Cap. 2.* In humilitate Superiores invicem arbitrantes; *et secundum hoc, etiam omnes se invicem honore praevenire.*

(3) Non deest tamen casus, in quo detractio fiat contra praesentem; uti si quis objiciat coram alicui vitium occultum, pluribus audientibus; nec non Contumelia fiat contra absentem, uti si imago alicujus conculcetur.

brantur defectus culpae, et poenae, veluti quod sit fur, et quod in carceribus fuerit detentus; Vel etiam defectus naturae, ut si per injuriam dicatur de aliquo, quod sit caecus, gibosus, etc.

Q. *Quid est improperium?*

R. Improperium est species Contumeliae, qua proximo praesenti, manifestatur ejus indigentia, et abjectio.

Q. *Quale peccatum sunt Contumelia, Convicium, et Improperium?*

R. Si fiunt ex odio, et animo plane deliberato inhonorandi proximum, et grave damnum illi irrogandi, sunt peccatum laethale (1). Si vero fiunt tantum animo jocandi, vel proximum corrigendi, et quidem cum prudentia, peccatum non sunt (2).

Q. *Quid est Irrisio, seu Derisio, vel Subsannatio?*

R. Est species Contumeliae, quae fieri solet motibus corporis. V. G. risu, naso rugato, contactu, etc.

Q. *Quid est Susurratio, et quale peccatum est?*

R. Susurratio est species Contumeliae, qua quis occulte, male loquendo de proximo, odium ejus, ac animorum dissentionem molitur, amicitiamque cum aliis dissolvit. Susurratio est peccatum, et quidem gravius ipsa detractione, quia per ipsam majus no-

---

(1) In Scriptura enim habetur, Christum asservisse Matth. V. Quod, *Qui dixerit fratri suo fatue reus erit gehennae ignis.*

(2) Quare Angelicus Doctor 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2. ait: *Sicut licet verberare aliquem, vel in rebus damnificare causa disciplinae, ita etiam causa disciplinae, potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod contumeliosum dicere, et hoc modo Christus discipulos vocat stultos, et Apostolus Galatas insensatos.*

cumentum proximo infertur; Cum amicitia majus bonum sit quam fama (1).

Q. *Quid est libellus famosus?*

R. Libellus famosus est Scriptura, quae continet infamiam alicujus, nondum publicatam, ut aedatur, et fiat publica.

Q. *Quomodo peccat, et in quam poenam incidit, qui condit libellum famosum?*

R. Peccat graviter ob gravem injuriam, quam proximo infert; et si condit Libellum famosum contra Pontificem, vel Cardinalem, vel contra aliquam Communitatem Religiosorum Mendicantium, ex Jure Canon. incidit in Excommunicationem Papae reservatam (2). De Jure vero Civili efficitur infamis, et intestabilis (3). In quam infamiae poenam incidunt etiam consulentes libellum famosum, et ad illum cooperantes; nec non omnes illi, qui invenientes libellum famosum, illum non lacerant, sed et aliis manifestant (4).

---

(1) Unde in Ecclesiast. Cap. VIII..habetur: *Susurro, et bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes* etc. . . . . *Qui respicit illam, non habebit requiem, neque habebit amicum, in quo requiescat.*

(2) Ita ex Extravag. Pii V. quae incipit: *Romani Pontificis providentia.*

(3) Lege *Ob carnem* D. de testibus. Juxta Codic. vero Noviss. poen. hujus Regni Neap. n. 371. punitur cum primo ad tertium gradum captivitatis, et cum mulca correctionali.

(4) Ex Lege Cornelia §. 4. *Si quis* D. de injuriis.

CAPUT IV.

De Judicio temerario, Suspicione, Dubitatione, et Secreto.

Q. *Quid est Judicium; quid Suspicio; et quid Dubitatio?*

R. Judicium est assensus mentis, absque formidine de opposito. Suspicio est inclinatio mentis ad assentiendum uni parti, ita tamen ut non absolute assentiatur. Dubitatio est suspensio intellectus inter assensum, et dissensum.

Q. *Quotuplex est tam Judicium, quam Suspicio, et Dubitatio?*

R. Duplex est; prudens nempe, et temerarium. Prudens est illud, quod sufficientibus judiciis, sive rationibus innititur (4). Temerarium vero est illud, quod sufficientibus non innititur rationibus, aut indiciis.

Q. *Quale peccatum est Judicium temerarium, et cui virtuti opponitur?*

R. Quoties est in materia gravi, est peccatum laethale, et quidem contra Justitiam (5).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut judicium temerarium sit proprie peccatum mortale?*

R. Hae quatuor requiruntur conditiones; 1. nem-

---

(1) Hoc Judicium etc., secluso actu odii, vel externa detractione, non est grave peccatum, quia quando crimen alicujus, sufficientibus indiciis, est cognitum, ille amisit jus extimationis suae.

(2) Apud namque S. Matth. Cap. VII. v. 1. ait Christus Dominus: *Nolite judicare, ut non judicemini.* Quod patet etiam ratione. Etenim unusquisque habet jus ad suam extimationem, donec suum crimen cognoscatur, juxta illud: *Quisque est praesumendus bonus, donec demonstretur malus.*

re, ut sit de materia gravi; 2. Ut Judicium formetur tanquam moraliter certum; 3. Ut Judicium sit ex levibus conjecturis; 4. Ut Judicium sit plene delibertatum, scilicet cum plena temeritatis advertentia.

Q. *Quomodo peccat, qui temere, aliquod grave peccatum in proximo suspicatur?*

R. Ordinarie loquendo, peccat tantum venialiter, quia per suspicionem, parum laeditur fama proximi (1). Datur tamen casus, in quo peccat mortaliter, et esset, si quis, Ex. gr., de viro valde probo, ex levibus conjecturis, suspicaretur aliquod malum valde grave, et enorme, veluti quod sit haereticus (2); Vel si quis ex sinistra suscipione erga aliquem, animo retenta, concipiat grave odium, vel contemptum ipsius, ut in electione, aut promotione ad aliquam dignitatem illi, alium minus dignum, et forsan etiam, penitus indignum, praeferat.

Q. *Quomodo in praesenti materia intelligendum est illud commune dictum*: Dubia in meliorem partem sunt interpretanda?

R. I. Non est intelligendum *affirmative*, quasi nihilominus Proximum teneamus existimare innocentem, sed *negative*: ita videlicet, ut quamdiu res est dubia, non feratur sententia in deteriorem partem.

II. Intelligendum est, talem sensum habere, quod facta dubia, quae possunt referri in bonam, et malam partem, debeant semper in bonam partem interpetrari (3).

---

(1) Ita D. Thomas 2. 2. q. 60. ad 3. cum aliis. Idque multo magis de temeraria dubitatione dicendum est.

(2) Et ratio est, quia homines aegrius ferunt hujusmodi suspiciones, quam certum judicium de aliis criminibus ordinariis.

(3) Vid. Anacletus Theol. Mor. Tract. IX. de Praec. Decal. Disp. 6. Concl. 3. n. 66.

Q. *Quid est Secretum?*

R. Secretum est, obligatio non revelandi aliquid.

Q. *Quotuplex distinguitur Secretum?*

R. Triplex; scilicet naturale, promissum, et commissum simul, et promissum. Secretum naturale habetur quando res natura sua hanc inducit obligationem. Promissum habetur, quando res, licet non indigeat occultatione, promittitur tamen occultatio. Commissum vero simul et promissum habetur, quando notitia alicujus rei alteri committitur cum obligatione secreti, et tacite, vel expresse secretum servandum promittitur.

Q. *Quale peccatum committit, qui naturale secretum revelat?*

R. Si ex secreti revelatione graviter laeditur is, cujus est secretum, vel ei grave damnum, sive in fama, sive in rebus fortunae evenit, peccatum mortale committit, et obligatur ad restitutionem, quia est efficax talium damnorum causa.

Q. *Quid dicendum de illo, qui vi tormentorum, vel mortis, vel alterius gravis damni, Naturale secretum revelat?*

R. Si revelatio secreti cadit in damnum publicum, qui revelat, peccat (1); secus non peccat (2).

Q. *Quale peccatum committit, qui secretum promissum manifestat?*

R. Peccat graviter, vel leviter juxta intentionem quam habuit in promittendo secreti occultationem (3),

---

(1) Etenim unusquisque tenetur mortem subire ad damnum Communitatis vitandum. Ita Sanchez, Salmatic:, et alii.

(2) Quia nemo tenetur cum tanto incommodo, tale secretum celare.

(3) Quare si promittens, intellexit se obligare sub gravi, graviter peccat; leviter vero si sub levi.

dummodo tamen nullum grave damnum proximo sequatur.

Q. *Potest ne quis, a Judice legitime interrogatus, secretum promissum manifestare?*

R. Potest. Nam per secretum quis obligatur ad non loquendum, semper ac licite id fieri possit; Jam vero quoties quis est a legitimo Judice interrogatus, non potest licite tacere; Ergo potest, imo debet manifestare secretum, etiamsi secretum fuerit cum juramento promissum, quia juramentum non est vinculum iniquitatis.

Q. *Quale peccatum committit, qui secretum commissum, et promissum revelat?*

R. Committit peccatum laethale contra justitiam, quia inter secretum committentem, et illud promittentem, habetur quasi contractus onerosus.

Q. *Potest ne quis a laethali culpa excusari, revelando secretum sibi commissum?*

R. Affirm. Idque triplici ratione; nempe 1. ratione parvitatis materiae; 2. ratione imperfectae advertentiae: 3. ratione justae causae (1).

Q. *Peccat ne qui aperit, et legit Epistolam clausam, vel obsignatam, absque expresso, vel tacito sive mittentis, sive illius, cui mittitur?*

R. Si materia est gravis, aut Epistolae apertio, uti gravis injuria apprehenditur a proximo, et peccat graviter; secus leviter, et quidem contra charitatem.

Q. *Est ne licitum alicui aperire, et legere aliorum Epistolas?*

R. Affir. Et primo est licitum Principibus

(1) Quae est vel bonum illius, qui commisit secretum, vel bonum commune, vel bonum innocentis; et in tali casu quis excusatur etiam a peccato veniali.

aperire inimicorum epistolas, et etiam aliorum, qui tempore Belli ab inimicis Regionibus scribunt. Idipsum etiam licet Magistratibus, quoties necessarium existimatur ad bonum commune. Item licitum est Praelatis Religiosis, suorum subditorum literas aperire, et legere, modo suspicentur aliquid mali in illis contineri; quoties tamen literae non sint Superiorum Majorum illis missae; 3. licitum est etiam privatis, suorum adversariorum, qui eos vexant, literas aperire ad evitandam gravem injuriam, quae posset eis superesse.

Q. *Quid dicendum de illo, qui epistolam ab alio discissam, et in publicum projectam, colligit, et junctis illius cartulis, legit?*

R. Putant aliqui, quod si id mera curiositate facit, peccat solum venialiter; eo vel maxime; quia dominus illam dilacerando, videtur cessisse juri suo. Dicendum tamen est, quod si colligens ille partes, et legens Epistolam, invenit in ea aliquid secreto dignum, jure naturali, illud servare tenetur (1).

CAPUT V.

De obligatione restitutionis famae, et de Causis a tali restitutione excusantibus.

Q. *Ad quid tenetur qui alterius famam violavit?*

R. Tenetur, et quidem sub gravi culpa, ad famae restitutionem; et si ex detractione, damna proximo advenerunt, ad illa resarcienda obligatur; quia fuit causa efficax talium damnorum.

Q. *Quomodo quis se gerere debet in restituenda fama?*

---

(1) Vid. Cuniliati Tract. IX. de VII. Decal. Praec. §. 7. n. 5.

R. Si famam abstulit per impositionem delicti falsi, tenetur retractare, quod asseruit, dicendo se dixisse falsum, addendo, si opus sit, etiam juramentum; si vero abstulit per impositionem delicti veri, sed occulti, tenetur dicere, se male dixisse, vel injuste infamasse, vel si tantum non potest, conetur saltem illum honore, et laudibus afficere, sine mendacio tamen, et falsitate.

Q. *Adest ne obligatio famam restituendi cum vitae periculo?*

R. Si infamatus, ob talem infamiam, est in periculo vitae, tenetur infamans, cum simili periculo, si opus sit, famam illi restituere; secus vero non.

Q. *Tenemur ne ad restitutionem honoris?*

R. Si honor per commissionem ablatus est, tenemur; si vero per solam omissionem ablatus est, non tenemur, sed sufficit, ut cesset omissio.

Q. *Si quis credens crimen esse verum, et publicum, illud narravit, tenetur ne ad restitutionem?*

R. Si perseverat in eo ignorantia invincibilis, ad nihil tenetur; neque scilicet ad restitutionem famae, neque ad damna; quia nulla adest culpa. Si vero cognovit crimen non esse verum, neque publicum, tenetur ad restitutionem famae, dummodo tamen possit, absque suo gravi incommodo.

Q. *Tenetur ne compensare pecunia, qui nequit infamiam tollere?*

R. Dissidium est inter Theologos (1).

---


(1) Verum probabilius videtur non teneri, nisi tantum in casu, quo infamator, ad poenam pecuniariam sit a Judice damnatus. Cum namque Justitia commutativa exigat aequalitatem, cumque talis aequalitas, in praesenti casu, haberi non possit, quia bona fortunae sunt ordinis inferioris, ac est fama, patet, pecunia compensari non posse famam ablatam.

Q. *Quaenam sunt causae excusantes a restitutione famae?*

R. Plures enumerari solent, praecipue sunt sequentes; 1. nempe est condonatio facta ab infamato; dummodo tamen infamia non redundet in alios (1); 2. recuperatio famae, vel propriis virtutibus, vel virorum proborum testimonio obtenta (2): 3. Impossibilitas famam restituendi (3). 4. Infamiae oblivio (4); 5. Delicti publicitas alia via secuta (5).

Atque hic, Secundae hujus nostrae Moralis Theologiae Partis, esto

FINIS.



(1) Nam infamatus est veluti dominus suae famae, non vero aliorum; quare licet ipse condonet infamanti., si infamia in alios redundavit, et illi non condonant, semper remanet infamanti obligatio famam restituendi.

(2) In tali enim casu, cum ablatum sit totum damnum, nulla amplius, famam restituendi, obligatio restat.

(3) Ad impossibile enim nemo tenetur; et impossibilium nulla est obligatio.

(4) Quando enim infamia oblivione delecta est, et consequenter ablatum damnum illatum, cessat obligatio restitutionis. Imo restituendo, periculum esset, iterum in mentem revocandi infamiam, cum detrimento infamati.

(5) Quando enim delictum alia via factum est publicum, qui fuit infamatus amisit jus ad famae possessionem. Unde et obligatio cessat famam restituendi.

INDEX

HUJUS SECUNDÆ PARTIS.

TRACTATUS I.

SUPER I. DECALOGI PRAECEPTUM NEMPE.

TRACTATUS II.

TRACTATUS III.

TRACTATUS IV.

TRACTATUS V.

TRACTATUS I.

TRACTATUS VII.

TRACTATUS VIII.

ERRATA CORRECTA.

Pag. 14. in N. (3) v. 3. upud, lege, apud. Pag. 35 in N. (1) v. 5. da, lege, de. Pag. 40. v. 5. omibus, lege, omnibus. Pag. 44. v. 9. aliquiquis, lege, aliquis. Ib. in N. (1) v. 2. adatur, lege, adoratur. Pag. 47. v. 3. Odolatria, lege, Idololatria. Ib. v. 24. solo, lege, soli. Pag. 59. v. 5. generie, lege, generis. Ib. v. 6. geveris, lege, generis. Pag. 68. v. 17. detrudontur, lege, detruduntur. Ib. in N. (4), v. 4. ismoniaca, lege, simoniaca. Pag. 70 v. 7. reservatum, lege, reservatam. Pag. 93. v. 15. justitia, lege, justitiae. Pag. 77. in N. (4) v. 4. onditionsta, lege, conditionata, Pag. 83. N. (2) (5) (4), lege, (1) (2) (3). Pag. 88. in N. (2) v. 2. lapibus, lege, lapidibus. Pag. 89. v. 17. lieitum, lege, licitum. Pag. 92. v. 15. menuacinm, lege, mendacium. Pag. 95. in N. (1) v. 1. Judici, lege, Judicia, Pag. 99. v. 11. le-legitimo, lege, legitimo. Pag. 100. Cap. IV, lege, Cap. III. Ib. in N. (2) v. 1. aeternae, lege, aeterne. Pag. 107. CAP. V. lege, Cap. IV. Pag. 110. in N. (2), v. 3. Consilio, lege, Concilio. Pag. 111. in N. (2) v. 1. proclare, lege, praeclare. P. 113. v. 27. judicum, lege, judicium. Pag. 115. Cap. VI. lege, Cap. V. Pag. 131. in N. (1) effligetisque, lege, affligetisque. Ib. v. 7. propitionis, lege, propitintionis, Pag. 136. in N. (1) v. 8. convcnum, lege, conventum. Pag. 142. v. 1. Et, lege, Est. Pag. 147. v. 4. ob, lege, ab. Pag. 156 in N. (1), v. 3. facers, lege, facere. Pag. 158. (2) v. 7. Calumnientibus. lege, calumniantibus. Ib. in N. (3) v. 2. hoe, lege, hoc. Pag. 160. in N. (2) v. 7. facit, lege, fecit. Pag. 167. in N. (2) v. 1. peramanenter, lege. peramanter. Pag 168. in N. (2) v. 1. Paulos, lege, Paulus. Ib. in N. (4) v. 7. participiant, lege participant. Pag. 169. v. 7. ed, lege, et. Ib. v. 9. (4), lege (2). Ib. v. 12. Patrinoram, lege, Patrinorum. Ib. in N. (1) v. 2. generunt lege, genuerunt. Ib. v. 8. obmururant, lege, obmnrmurant. Ib. in N. (2) v. 4. ed, lege, et. Pag. 170. in N. (2) v. 2. non, lege, nos. Pag. 1 1. v. 1. 3. lege, 5. Ib. in N. (5) v. 2. frutrem, lege, fratrem. Pag. 184. v. 1. facimus, lege, facinus. Ib. in N. v. 8. inquum, lege, iniquum. Pag. 185. v. 3. Aggressorum, lege, aggressorem. Pag. 187. v. 2. possessorea, lege, possessuros, P. 188 in N: (3) v. 11. es, lege, et Pag. 189. in V. (2) v. 2. auctorisste lege, anctoritate. Pag. 190. in N. (1) v. 10. libertate. lege, liberate. Pag. 192. v. 19. auis, lege. sui. Pag. 193. v. 13. Aphcnsus, lege, Alphonsus. Pap. 119. v. 3. homicidiam, lege, homicidam. Ib. in N. (1) v. 6. justitiurios, lege, justitiarios. Pag. 235. in N. (2) v. 13. minoreutibus, lege, minorensibus. Pag. 236. v. 3. struprum, lege, stuprum. Pag. 237. v. 12. strupro, lege, stupro et ita semper. Pag. 238. in N: (1) v. 1. scient, lege, scienti. Pag. 254. in N. (1). v. 2. accessitus, lege, arcersitus. Pag. 261. in N. (1) v. 9. censcientia, lege, conscientia. Pag. 253. in N. (3) v. 7. hoc, lege, hac. Pag. 27'. in N. (2) v. 14. impudiciae, lege, impudicitiae. Pag. 292, v. 32. restitusionis, lege, restitutionis. Pag. 293. in N. (1) v. 2. homidii, lege; homicidii. Pag. 301. v. 19. Tenetur lege, Negative. Pag. 303. v, 24. inter, lege, iter. P. 304. v. 6. extranens, lege, extraneus. Ib. v. 25. executuor, lege, executor. Pag. 305. in N. (1) v. 3. omatur, lege, operatur. Ib. in N. (2) v. 6. rasarcire, lege, resarcire. Pag. 309. v. 3. gradus, lege, gradum. Pag. 310. v. 13. restitutionem, lege, restitutione. Pag. 311. v. 3. restitutie, lege, restitutio. Pag. 312. in N. (1) v. 2. illi, lege, illis. Pag. 316. in N. (1) v. 7. Statim, lege, statum. Pag. 319. v. 5. N. (3), lege, N. (1). Pag. 326. in N. (2) v. 6. emanat, lege, emant. Pag. 328. v. 22. quemadm-na, lege, quemadmodum. Pag. 137. v. 5. judico, lege, judicio. Ib. v. 21. occullum, lege, occultum. Pag. 338. v. 14. excistat; lege, existat. Pag. 345. v. 3. delibartatum, lege, deliberatum. Pag. 349. in N. (1) v. 2. infamator, lege, infamatus. Pag. 350. in N. (4) v. 1. delecta, lege, deleta.



